
EX LIBRIS
MARYGROVE

PRAXIS
AMANDI JESUM CHRISTUM

DEDUCTA EX S. PAULI VERBIS

Caritas patiens est, benigna est . . .

(1 Cor. XIII, 4-7)

AUCTORE

S. ALPHONSO MARIA DE LIGORIO

EPISCOPO ET ECCLESIÆ DOCTORE

EDITA IN EORUM UTILITATEM
QUI SALUTEM ÆTERNAM IN TUTO COLLOCARE
ET VIA PERFECTIONIS INCEDERE OPTANT

LATINE REDDITA
AB
A. WALTER C. SS. R.

ROMÆ
TYPIS CUGGIANI
1909

DETROIT MEDICAL
MARYGROVE COLLEGE LIBRARY

BENEVOLO LECTORI

Hoc opusculum, italica lingua conscriptum, primitus in lucem prodiit anno 1768, quum S. Alphonsus septuaginta duos natus esset annos. Anno 1870, quum de titulo Doctoris ei concedendo ageretur, Hilarius Alibrandi, causæ patronus, de hujus libelli pretio mentem suam his verbis aperuit (n. 365): « Cujus quidem unius ope, vivo caritatis igne potuissent inflammari innumera hominum corda, etsi fuissent janseniano gelu rigentia. Illud præcipue, hoc in opere, legentis mentem admiratione percellit, quod S. Scriptor, de vita spirituali agens, methodum init sublimem, ipsique inter magistros disciplinæ ascetica peculiarem. Quum enim ejus animo alte infigeretur illud Apostoli : « Caritas patiens est, benigna est, ...

non æmulatur, non agit perperam, non inflatur »; neque minus perspectum haberet dictum illud Augustini: « Ama, et fac quod vis »; sategit ut universa virtutum christianarum series ex caritate educeretur; atque hæc exhiberetur quasi oceanus vastissimus, ex quo virtutes ceteræ, veluti totidem flumina ac rivuli, originem ducunt et alimentum ».

Et re quidem vera; postquam S. Doctor initio opusculi asseruit, totam perfectionem in amore Dei consistere, ac deinde primis Capitibus demonstravit, validissimis rationibus ad amandum Deum nos obligari, hoc unum, ut ad sanctitatem nos perducat, ostendere nititur, Dei vere amantem ea velle, quæ Deus velit, cum a peccato et ab animi tepore abhorrere, perfectionis adhibere adjumenta omnesque virtutes colere.

Suo igitur jure idem Alibrandi, suum de S. Alphonsi asceticis operibus judicium concludens (n. 382): « Hæc est enim », inquit, « solida sapientia, docere homines, et docendo permovere ut sciant et velint ea omnia perfi-

cere, quæ ad culturam eminentis virtutis pertinent, facilemque sternunt viam ad beatitatem assequendam immortalem. Oh! si Platoni et Tullio ascetica Alphonsi opera fuissent perspecta! « Phædonem » ille suum, hic suos « de finibus » libros flammis dedissent, ut potius his asceseos Alphonsianæ præceptis græcas latinasque litteras ditarent!»

Superest, ut lectorem monitum velim, me ad finem Capitum nonnullas, non numeris, sed litteris distinctas adjecisse notulas.

A. Walter C. SS. R.

PRAXIS AMANDI JESUM CHRISTUM

Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema (1 Cor., XVI, 22).

CAPUT I.

Quantopere Jesus Christus amorem nostrum sibi mereatur ob amorem in passione sua nobis præstitum.

1. Tota animæ sanctitas et perfectio sita est in amore erga Jesum Christum, Deum nostrum, summum nostrum bonum nostrumque Redemptorem. Qui diligit me, sic ipse Jesus dixit, ab æterno meo Patre diligetur: *Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis* (Joan., XVI, 27). S. Franciscus Salesius: Nonnulli, inquit, perfectionem in austeritate vitæ reponunt; alii in oratione vel in frequentandis sacramentis, alii in eleemosyna eroganda, sed falluntur; in hoc sita est perfectio, ut toto corde Deum diligamus [1]. Apostolus autem: *Su-*

[1] *Introduction à la vie dévote*, Partie I, chap. 1 (vide not. *a*, pag. 26).

per omnia.... inquit, *caritatem habete, quod est vinculum perfectionis* (Colos., III, 14). Caritatis est, colligare et tueri omnes virtutes, quæ hominem perfectum reddunt. Quare S. Augustinus asserebat: *Ama, et fac quod vis* (*b*): nam ipse amor animam, Dei amore captam, docebit nihil unquam facere, quod ei displiceat, et præstare omnia, quæ ei grata sint.

2. An forte Deus omnem amorem nostrum sibi non meretur? Ab æterno nos dilexit: *In caritate perpetua dilexi te* (Jerem., XXXI, 3). Perpende, o homo, ita nos alloquitur, in te diligendo me primum fuisse. Necdum tu in lucem prodieras, neque ipse mundus existebat, et ego te jam diligebam. Ex quo ego sum, te diligo; ex quo meipsum dilexi, te quoque diligo. Merito igitur sancta virgo Agnes sponsis terrenis amorem suum flagitantibus respondit: *Ab alio amatore præventa sum* [1]. Vos, profani amantes, recedite, nec jam amorem meum vobis postulate: Deus me dilexit primus, idque ex omni æternitate; æquum est, me omnem animi affectum ei devovere, nec præter eum alium quemquam diligere.

[1] Surius, die 21 Jan., *Vita S. Agnetis*, § 3.

3. Deus, quum sciret, hominem beneficiis allici, donis suis ad sui amorem cum devincire voluit. Quapropter dixit: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis* (Osee, XI, 4). Quibus laqueis irretiri se sinunt homines, iis ad me amandum eos captare volo: amoris vinculis. Atque eo spectarunt cuncta dona, quæ homini contulit. Quum ei donasset animam, ad imaginem suam memoria, intellectu et voluntate præditam; quum corpus dedisset, sensibus instructum; pro eo etiam creavit cælum et terram et tantam rerum copiam: hominis amore firmamentum condidit cum fixis et errantibus sideribus, maria, flumina et fontes, montes et planities, metalla, fruges et animalia omne genus; ut omnes illæ creaturæ homini servirent, homo autem ipsum diligeret tot beneficiorum gratiâ. *Cælum et terra*, exclamabat S. Augustinus, *et omnia mihi dicunt, ut te amem*[1]: quidquid enim in terra, quidquid supra terram aspicio, mihi dicit, se mei amore a te esse factum. Joannes *Rancé*, Cisterciensium reformator, quoties ex cellula oculos conjiciebat in

[1] *Confess.*, lib. X, cap. 6.

colles, rivulos, aviculas, flores, sidera et cælos, toties a singulis eorum incendebatur amore Dei, qui sui amore ea condidisset.

4. Similiter S. Maria Magdalena de Pazzis, si quem venustum florem manu teneret, amoris erga Deum stimulos sibi addi sentiebat, et: « Ergone », inquiebat, « ex omni æternitate Deus voluit meâ causâ hunc florem creare! » Atque ita floscultus ille velut amoris sagitta fiebat, quæ suaviter transfigebat ejus animam et cum Deo magis conjungebat. S. Teresia autem, arbores, fontes, rivos, litora vel campos adspiciens, omnes illas pulchras creaturas admonere se ajebat ingrati sui animi, quod adeo tepide diligeret Deum, qui eas creasset, ut a se diligeretur. Idem accidisse narrant pio cuidam solitario. Is quum per agros ambularet, increpari sibi videbatur ab herbulis et floribus, quod Deo ingratum se præberet; quapropter bacillo leviter ea tangens: « Conticescite », inquiebat, « conticescite; ingratum me vocatis; objicitis, quod, licet mei amore Deus vos creaverit, ego eum non diligam: intellexi; obmutescite, objurgare jam desinite ».

5. Nec solummodo pulchras illas creaturas nobis dare voluit; verum, ut omnem nostrum amorem sibi conciliaret, vel eo progressus est, ut semetipsum nobis totum largiretur. Æternus Pater vel eo processit, ut unicum suum Filium nobis donaret. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (Joan., III, 16). Quum nos omnes peccato mortuos suaque gratiæ expertes videret, quid fecit? Immenso, immo, ut loquitur Apostolus, nimio suo erga nos amore compulsus, dilectum suum Filium misit, qui pro nobis satisfaceret, nosque ad vitam peccato ablatam revocaret. *Propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos, et quum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo* (Ephes., II, 4-5). Donando autem Filium, cui non ignovit, ut nobis ignosceret, simul omne bonum nobis largitus est, gratiam, caritatem et paradisum; nam omnia illa certo minora sunt Filio. *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* (Rom., VIII, 32).

6. Pariter Filius pro suo erga nos amore totum se nobis donavit: *Dilexit me, et tradidit*

semetipsum pro me (Gal., II, 20). Ut ab æterna morte nos redimeret, et gratiam nobis gloriamque restitueret amissam, homo factus est nostraque se induit carne: *Et Verbum caro factum est* (Joan., I, 14). En igitur Deus exinanitus: *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens,... et habitu inventus ut homo* (Philip., II, 7). En, totius mundi Dominus adeo se humiliat, ut servi speciem assumat, omnesque suscipiat miserias, quas ceteri homines patiuntur.

7. Illud autem admirationem auget, quod Dei Filius, quum potuisset dolorum et mortis immunis salutem nobis afferre, ærumnosam vilemque vitam sibi elegit et mortem acerbam atque adeo contumeliosam, ut in cruce, ignominiæ patibulo nefariis destinato, vitam posuerit: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (Ibid., 8). Cur autem, si nihil passus nos redimere potuisset, ultro amplexus est mortem, atque eam in cruce obeundam? Ut suum nobis monstraret amorem. *Dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis* (Eph., V, 2). Quoniam dilexit nos, se tradidit doloribus, ignominiis et morti, qua acerbiorem nemo unquam hominum subiit.

8. Quocirca eximius Jesu Christi amator, S. Paulus testatur: *Caritas... Christi urget nos* (2 Cor., V, 14). Quibus verbis designare voluit, non tam ea, quæ Jesus Christus perpessus est, quam amorem, patiendo nobis exhibitum, ad amandum eum nos obligare et quadam necessitate constringere. Quid in hunc textum S. Franciscus Salesius dicat, audiamus: « Cognitum habere, Jesum, verum Deum, adeo nos dilexisse, ut mortem, immo crucis mortem pro nobis subierit, quid est aliud quam corda nostra torculo subjici, arcte constringi atque ex iis exprimi amorem quanto amabiliori tanto efficaciori violentiâ? » Et subjungit: « Quin ergo Jesum crucifixum amanter invadimus, ut in cruce moriamur cum eo, qui nostri amore illic mortem obire voluit? Tenebo eum, ita dicamus oportet, neque unquam dimittam: cum eo moriar, ejusque amoris flammis comburar. Unus idemque ignis divinum Creatorem miseramque ejus creaturam absumet. Jesus se totum mihi donat, ego me totum ei dono. Ad ejus pectus vivam et moriar: nec mors nec vita me unquam avellet » [1]. « O amor æterne, Te

[1] *Traité de l'amour de Dieu*, livre VII, chap. 8.

anima mea quærit, Te in æternum sibi eligit. Veni, quæso, Sancte-Spiritus, et tui amoris igne corda nostra inflamma! Aut diligere aut mori! Ceteris amoribus moriamur, ut Jesu amori vivamus! O animarum nostrarum Redemptor, fac in æternum cantemus: Jesus vivat! Jesum diligo! Vivat Jesus, quem diligo! Diligo Jesum, qui vivit in sæcula sæculorum » [1].

9. Tantus erat Jesu Christi erga homines amor, ut mortis horam expeteret ad suam erga eos benevolentiam patefaciendam; unde his in terris degens: *Baptismo... habeo baptizari*, inquiebat, *et quomodo coarctor usquedum perficiatur* (Luc., XII, 50). Ipso meo sanguine me tingi oportet; oh, quantopere cupio cito advenire passionis meæ tempus, ut mox dignoscat homo, quo amore eum prosequar! Quare S. Joannes, de ea nocte agens, qua Jesus passionis suæ initium fecit: *Sciens Jesus*, inquit, *quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, quum dilexisset suos.... in finem dilexit eos* (Joan., XIII, 1). Illam horam Redemptor *suam horam* vocat, quia hora mortis

[1] *Traité de l'amour de Dieu*, livre XII, chap. 13.

desideratum ei tempus esset, quo, doloribus consumptus in cruce moriendo, hominibus supremum sui amoris argumentum dare vellet.

10. Quis autem Deum inducere potuit, ut cum tanto divinæ suæ Majestatis dedecore, medius inter duos perditos homines, patibuli supplicio affectus moreretur? *Quis hoc fecit?* ita quærit S. Bernardus. Et respondet: *Fecit amor, dignitatis nescius* [1]. Amor, prodere se cupiens, non inquirit, quid amantis dignitatem magis deceat, sed quo modo se melius detegat amato. Merito igitur S. Franciscus de Paula, crucifixi effigiem intuens: *O caritas,* exclamabat, *o caritas, o caritas!* Ita nos omnes, Jesum in cruce videntes, amore succensos exclamare oportet: O amor, o amor, o amor!

11. Ah, nisi fides illud asseveraret, ecquis credere posset, Deum omnipotentem, felicissimum omniumque rerum Dominum, hominem adeo amare voluisse, ut ejus amore extra se raptus videatur? S. Laurentius Justinianus: *Vidimus,* inquit, ipsam *sapientiam,* Verbum æternum, *amoris* erga homines *nimietate infa-*

[1] *In Canticum,* sermo 64.

tuatam [1]. Itemque S. Maria Magdalena de Pazzis, quadam die in extasim rapta, ligneam Crucifixi imaginem manu prehendens: « Etiam, mi Jesu », exclamavit, « amore insanis. Dico semperque dicam: insanis amore ». « Minime vero », inquit S. Dionysius Areopagita, « non est hæc insania, sed solitus divini amoris effectus: amans extra se rapitur, ut totum se tradat amato: *Extasim facit divinus amor* » [2].

12. O si homines, Jesum cruci affixum intuentes, tenerum considerarent affectum, quo eorum unumquemque dilexit! « Quo amore nos accenderent », inquit S. Franciscus Salesius, « inspectæ illæ in sinu Redemptoris flammæ! O beatam sortem, iisdem quibus Deus noster ignibus ardere! Atque o nimiam voluptatem, amoris vinculis Deo devinciri! » S. Bonaventura Jesu Christi plagas vocat *vulnera, corda saxea vulnerantia et mentes congelatas inflammantia* [3]. Oh quot ab illis vulneribus exeunt jacula amoris, quæ vel durissima corda transfodiunt! Quot ab igneo Jesu Christi Corde flammæ erumpunt, quæ frigidissima etiam suc-

[1] *Sermo de Nat. Dom.* — [2] *De div. Nom.*, cap. 4. — [3] *Stimulus amoris*, Pars I, cap. 1 (c).

cendunt corda! Quot ex transfixo illo latere catenæ prodeunt, quæ vel maxime indomita pectora ligant!

13. Venerabilis Joannes ab Avila, qui tanto Jesu Christi amore captus erat, ut numquam concionem haberet, quin Christi amorem commemoraret, in *Tractatu de divino amore* hos vere ignitos animi sensus enuntiat, præclariores quam quos tacitus præterirem:

14. « Tu, Redemptor, hominem ita dilexisti, ut si quis hunc amorem consideret, te non diligere non possit; tuus siquidem amor, ut ait Apostolus, cordibus vim infert: *Caritas Christi urget nos* (2 Cor., V, 14). Jesu Christi erga homines amoris origo est ejus erga Deum amor. Quare in ultima Cœna: *Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem,* inquit, *...surgite, eamus* (Joan., XIV, 31). Quo autem iturus surgit? Ad mortem pro hominibus in cruce obeundam.

15. » Nemo umquam intelliget, quantopere in Jesu Christi corde ignis ille ardeat. Si jussus fuisset, non semel sed millies mortem subire, ad mortem millies subeundam amor ejus non defuisset. Si quæ pro universo hominum genere pertulit, pro unius hominis salute perferre

debuisset, pro singulis fecisset, quod fecit pro omnibus. Si opus fuisset, non per tres horas sed usque ad extremum judicium cruci affixum manere, talem habuisset amorem, qui illud perfecisset. Itaque multo magis dilexit quam perpessus est. O divine amor, quanto eras major quam exterius apparuisti; tot vulnera, tot vibices magnum quidem amorem prædicant, sed non omnem ejus referunt magnitudinem; major intus latitavit quam qui foris apparuit: apparuit scintilla, ex amplo illo immensi amoris incendio emissa. Hoc maximum est amoris signum, vitam amicorum causa profundere; sed non fuit signum, quod Jesu Christi amorem satis exprimere potuit.

16. » Hujus amoris est, bonas animas, quibus se revelat, extra se rapere et admiratione stupefacere. Hinc ardescunt præcordia; hinc oritur desiderium martyrii, gaudium in mediis ærumnis; hinc candentes craticulæ lætitiam afferunt; hinc prunas calcantes super rosas incedere sibi videntur; hinc cruciatus appetuntur, atque ea delectant, quæ mundus formidat; hinc ea amplectimur, a quibus mundus abhorret. Anima Christo in cruce desponsa, inquit S. Am-

brosius, nihil sibi gloriosius ducit, quam Crucifixi insignia secum gerere.

17. » Quomodo, o mei amantissime, tuum tibi rependam amorem? Sanguine sanguinem compensari, æquum est. Utinam ego hoc sanguine conspersum et huic cruci affixum me viderem! O sancta crux, me quoque in te suscipe. Extendere, corona, ut et caput meum inseram. Dimittite, o clavi, insontes Domini manus, meumque pectus miseratione et amore transfigite. Idcirco, mi Jesu, te mortem obiisse ait S. Paulus, ut vivos et mortuos tibi subjiceres, non suppliciis sed amore: *In hoc enim Christus mortuus est, et resurrexit, ut et mortuorum et vivorum dominetur* (Rom., XIV, 9).

18. » O raptor cordium, tui amoris impetus nostrorum etiam cordium duritiem perfregit. Mundum universum amore tuo inflammasti. Hoc vino, amantissime Domine, animos nostros inebria, hoc eos igne succende, percute eos hac tui amoris sagittâ. Tua crux velut arcus est, qui corda vulnerat. Sciant omnes, transfixum esse pectus meum. O amor mi dulcissime, quid fecisti? Qui ad sanandum veneras, me vulnerasti? Ad recte vivendum me instructurus,

velut insanientem reddidisti? O sapientissima insania, ne umquam sine te vivam! Quæcumque in cruce adspicio, Domine, ad amandum me excitant: lignum, effigies, tui corporis vulnera, super omnia autem amor tuus me impellit, ut te diligam et numquam tui obliviscar ».

19. Ut autem ad perfectum Jesu Christi amorem perveniatur, ea, quæ ad illud requiruntur, adhibenda sunt. S. Thomas [1] hæc indicat: 1. Tam generalia quam particularia Dei beneficia assidue recolere. 2. Considerare infinitam Dei Bonitatem, quæ sine ulla intermissione beneficia nobis confert, assidue nos diligit nostrumque sibi amorem exposcit. 3. Sedulo devitare quidquid vel minime ei displicet. 4. Renuntiare divitiis, honoribus, sensuum oblectamentis, cunctis denique hujus terræ commodis. — Adjungit P. Thaulerus [2], multum quoque ad perfectum Jesu Christi amorem assequendum valere ejus passionis meditationem.

20. Quis negare possit, devotionem erga Jesu Christi passionem esse unam omnium et utilissimam et tenerrimam; qua nec Deo gratior

[1] *De duobus præceptis*, cap. 4. — [2] *Epistola* 20; *Ut per Christi passionem, divini amoris fervorem obtineamus.*

reperiatur, nec peccatori ad solatium accommodatior, nec quæ animas amantes magis inflammet? Unde, quæso, tot nobis proveniunt bona nisi ex Jesu Christi passione? Unde veniæ spes, robur in tentationibus, æternæ salutis adipiscendæ fiducia? Unde tot mentis collustrationes, tot blandæ invitationes, tot emendandæ vitæ impulsus, tot Deo se devovendi desideria? Nonne ex Jesu Christi passione hæc omnia in nos derivantur? Summo igitur jure Apostolus a fidelium communione separat eum, qui Jesum Christum non amet: *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema* (1 Cor., XVI, 22).

21. Nihil magis ad sanctificandam animam conducere ait S. Bonaventura, quam Jesu Christi passionis meditationem; unde nobis suadet: *Si in divino amore vis proficere, quotidie mediteris Domini passionem* [1]. Et S. Augustinum monuisse, refert de Busto [2]: *Magis meretur vel unam lacrimam emittens ob memoriam passionis*

[1] *Stimulus amoris*, Pars prima; passim (vide not. *c*, pag. 27). — [2] *Rosarium sermonum Ven. Bernardini de Busto*; Pars secunda, sermo XV, feria VI in Parasc.; *de lacrimosa Passione Domini*.

Christi, quam si qualibet anni hebdomada in pane et aqua jejunaret. Quapropter Sancti contemplandis Jesu Christi doloribus semper operam dederunt. Ita agendo S. Franciscus Assiensis Seraphicus evasit. Accidit, ut quidam plorantem eum atque ejulantem deprehenderet. Cui causam interroganti: « Plango », inquit, « Domini mei dolores et contumelias; et hoc etiam magis me discruciat, quod homines, pro quibus tanta sustinuit, ejus immemores vivunt ». Ad quæ acrius lacrimari cœpit, ut neque alter fletum cohibere posset. Quoties aut agnum balantem audiret aut aliquam rem videret, Christi patientis memoriam sibi revocantem, lacrimæ statim ei manabant. Quum ei ægrotanti consuleretur, ut pium aliquem librum legendum sibi curaret: « Meus liber », respondit, « est Jesus crucifixus ». Itaque nihil aliud faciebat nisi fratres cohortabatur, ut Jesu Christi passionem assidue recogitarent. Quisquis, inquit Thiepolo [1], Jesum in cruce demortuum intuens, Dei amore non inflammatur, amore numquam inflammabitur.

[1] *Le Considerazioni della Passione di N. S. Gesù Cristo; di Monsign. Giov. Thiepolo, Primicerio di San Marco.*

Pii affectus et preces.

O Verbum æternum, ut hominibus salutem afferres, triginta tres impendisti annos, laboris et molestiarum plenos, sanguinem et vitam profudisti, nihil denique omisisti, ut eorum tibi conciliares amorem; quid ergo est, quod reperiantur homines, qui illud sciant, nec tamen te diligant! Eheu, in iis ingratis me quoque esse! Quam inique tecum egerim, mi Jesu, perspicio; miserere mei. Tibi offero hoc ingratum meum cor; ingratum illud quidem, sed dolore contritum. Ita est, dilecte mi Redemptor; præ ceteris malis doleo, quod te despexi. Me pœnitet; ex tota anima te diligo. Anima mea, Deum amato, tamquam reum pro te vinctum, Deum tamquam servum flagellis pro te cæsum, Deum tua causa pro rege scenico despectui habitum, Deum denique velut sceleratum in cruce pro te mortuum. Etiam, mi Salvator, mi Deus, te amo, te amo. In memoriam meam semper revoca, quæso, quanta pro me passus sis, ut te amare jam non obliviscar. Funes, qui Jesum ligastis, ad Jesum me adstringite. Spinæ,

quæ Jesum coronastis, Jesu amore me vulnerate ; clavi, qui Jesum confixistis, Jesu cruci me affigite, ut cum Jesu vivam et moriar. O sanguis Jesu, sancto amore me inebria. O mors Jesu, fac ut omni terreno studio moriar. Vos amplector, o mei Salvatoris pedes transfixi ; inferni pœnis, quas mihi promerui, me eripite. Mi Jesu, in inferno te diligere jam non possem ; ego vero semper te diligere volo. Dilectissime Salvator, salva me, ad te me constringe, nec permitte, ut denuo te amittam. O Maria, peccatorum refugium et Redemptoris mei Mater, adjuva peccatorem, qui Deum diligere cupit, tibique se commendat. Succurre mihi per tuum erga Jesum Christum amorem.

—

NOTÆ.

(*a*) Pag. 9: Confer etiam: *Esprit de S. François de Sales,* par Mgr. Camus, évêque de Belley. Première partie, chap. 25, *de la Perfection.*

(*b*) Pag. 10: In epistolam Joannis ad Parthos, tract. 7, n. 8: « Semel ergo », inquit, « breve præceptum tibi præcipitur: *Dilige, et quod vis fac:* sive taces, dilectione taceas ; sive clamas, dilectione clames ; sive emendas, dilectione emendes ; sive par-

cis, dilectione parcas : radix sit intus dilectionis, non potest de ista radice nisi bonum existere ».

(*c*) Pag. 18: In novissima S. Bonaventuræ Operum editione (Ad Claras Aquas [Quaracchi] 1898), tomo VIII, Prolegomena, cap. III, pag. XCIV, editores adnotant: « Certum est etiam, libellum *Stimulus amoris* magna ex parte sumptum esse ex diversis operibus Bonaventuræ ». Et pag. CXI: « 3. *Stimulus amoris.* Incipit: *Ad te, Domine, levavi* (Vat. tom VII, pag. 203). Compilatum est hoc multum propagatum opusculum ex variis aliis libris, præsertim Bonaventuræ et Fr. David ab Augusta. Auctor ejusdem videtur esse quidam Fr. Jacobus, Lector Mediolanensis Ord. Min. Opus mira cum varietate rei et ordine partium exhibetur in multis codd. et edd. ».

CAPUT II.

Quantopere Jesus Christus amorem nostrum sibi mereatur ob amorem in SS. Altaris Sacramento instituendo nobis præstitum.

1. *Sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, quum dilexisset suos, in finem dilexit eos* (Joan., XIII, 1). Amantissimus Redemptor, sciens, jam advenisse horam, qua ex hoc mundo discederet, ante mortem pro nobis oppetendam, quam maximam potuit sui amoris tesseram, donum SS. Sacramenti, nobis relinquere voluit. In memoria arctius hærere ait S. Bernardinus Senensis, ac pluris æstimari ea amoris indicia, quæ mortis hora exhibentur: *Quæ in fine in signum amicitiæ celebrantur, firmius memoriæ imprimuntur et cariora tenentur* [1]. Ita fit, ut amici iis, quos in vita caros habuerunt, in morte aliquod donum, ut vestimentum annulumve in propensionis

[1] Tom. 2, sermo 54, art. 1, cap. 1.

suæ monumentum relinquere soleant. Tu autem, mi Jesu, ex hoc mundo discedens, quodnam amoris tui monumentum nobis reliquisti? Non vestimentum, non annulum, sed corpus tuum, sanguinem, cor, animam et divinitatem. *Totum tibi dedit*, inquit S. Joannes Chrysostomus; *nihil sibi reliquit.*

2. In hoc Eucharistiæ dono, inquit Concilium Tridentinum, Jesus Christus omnes *divitias sui erga homines amoris velut effudit* [1]. Apostolus autem adnotat, Jesum hoc donum hominibus largiri voluisse ipsa illa nocte, qua ab hominibus mors sibi pararetur: *In qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit et dixit: Accipite et manducate; hoc est corpus meum* (1 Cor., XI, 23-24). Et S. Bernardinus Senensis: *In illo fervoris excessu*, inquit, *quando paratus erat pro nobis mori, ab excessu amoris majus opus agere coactus est, quam umquam operatus erat, dare nobis Corpus in cibum* [2].

3. Recte igitur a S. Thoma hoc Sacramentum vocatur: *Sacramentum caritatis, pignus caritatis.* « Sacramentum caritatis », quia sola

[1] Sess. XIII, cap. 2. — [2] Loc. cit.

caritas Jesum Christum induxit, ut in eo se totum nobis daret; « pignus caritatis », quia si umquam ejus amor in dubium nobis veniret, illud Sacramentum pignori nobis esset; ac si Redemptor, illud donum nobis relinquens, simul dixisset: Si umquam de meo amore dubitetis, ecce, in hoc Sacramento me vobis relinquo; tali pignore accepto, jam non potestis dubitare, an vos diligam multumque diligam. Præterea a S. Bernardo hoc Sacramentum vocatur: *amor amorum*, quia hoc dono continentur reliqua omnia Dei dona, creatio, redemptio, ad gloriam prædestinatio; Eucharistia enim pignus est non solum Jesu Christi amoris, sed etiam cælestis gloriæ, quam nobis dare statuit. *In quo*, sic loquitur Ecclesia, *futuræ gloriæ nobis pignus datur*. Unde S. Philippus Nerius Jesum Christum in Sacramento hoc solo *amoris* nomine vocabat; et quum Viaticum sibi afferretur: *Ecce amor meus*, exclamavit, *meum mihi præbete amorem*.

4. Volebat Isaias (Is., XII, 4), omnibus manifestari ea, quæ Deus, ut ab hominibus amaretur, amoris plena excogitasset. Ecquis potuisset cogitare, nisi Dominus ipse hoc opus

perfecisset, Verbum Incarnatum sub specie panis nobiscum esse permansurum, ut cibus noster fieret? *Nonne videtur insania,* inquit S. Augustinus: *Manducate meam carnem, bibite meum sanguinem?* [1]. Discipuli, quibus Jesus hoc Sacramentum detegebat, ei credere non potuerunt, et ab eo discedentes dixerunt: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Durus est hic sermo; et quis potest eum audire?* (Joan., VI, 53-61). Sed quod homines cogitare vel credere non poterant, magnus Jesu Christi amor excogitavit et perfecit. *Accipite et manducate;* sic, priusquam moreretur, discipulos, atque in iis nos omnes allocutus est. Quisnam autem, o mundi Redemptor, ille cibus erit, quem priusquam moriaris, nobis dare constituisti? *Accipite et manducate, hoc est corpus meum.* Hic cibus non est terrenus, ego ipse sum, me totum vobis largior.

5. O quam avide desiderat Jesus, in S. Communione ad animas nostras accedere. *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum* (Luc., XXII, 15). Ita locutus est, qua nocte

[1] *In Psalm. 33,* enarr. 1.

hoc amoris Sacramentum instituit. *Desiderio desideravi;* ad ita loquendum, inquit S. Laurentius Justinianus, eum impulit immensus, quo nos prosequebatur, amor: *Flagrantissimæ caritatis est vox hæc* [1]. Et quo facilius unusquisque eum recipere posset, sub panis specie remanere voluit. Si vel rari vel magni pretii cibi speciem elegisset, pauperes eum sumere non potuissent; sed ideo elegit speciem panis, qui parvo parabilis est et ubique reperitur, ut omnes ubique ipsum adire et in Communione recipere possent.

6. Ut porro nos quoque desideraremus in Communione eum recipere, non solum tot invitationibus nos impellit: *Venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis* (Prov., IX, 5). — *Comedite, amici, et bibite* (Cant., V, 1) cælestem hunc panem et vivum; sed etiam præceptum imponit: *Accipite et manducate, hoc est corpus meum* (1 Cor., XI, 24). Præterea cælestem gloriam promittendo nos allicit: *Qui manducat meam carnem, ... habet vitam æternam* (Joan., VI, 55). *Qui manducat hunc pa-*

[1] *De triumphali Christi agone*, cap. 2.

nem, vivet in æternum (Ibid., 59). Infernum comminatur, exclusionem e cælo intentat, si eum suscipere renuamus: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis,... non habebitis vitam in vobis* (Ibid., 54). Quæ invitamenta, pollicitationes et minæ omnes emanant ex magno ejus desiderio, in hoc Sacramento ad nos veniendi.

7. Sed cur tantopere exoptat, ut in S. Communione eum recipiamus? Ratio hæc est. Amor, inquit S. Dionysius, sectatur et appetit conjunctionem, seu, ut apud S. Thomam legimus: *Amantes desiderant ex ambobus fieri unum* [1]. Amici, qui ex animo se diligunt, adeo vellent conjungi, ut ex duobus fierent unus. Hoc autem perfecit immensus Dei erga homines amor, ut non solum in regno æterno se totum iis donet, sed etiam his in terris quam arctissima conjunctione sub panis specie in hoc Sacramento ab iis se possideri sinat. Ibi velut post parietem consistit, nosque per clathros intuetur: *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos* (Cant.,

[1] 1. 2., qu. 28, art. 1.

II, 9). Quamquam nos eum videre non possumus, ille tamen inde nos videt, ibique vere adest: adest quidem, ut a nobis possideatur, sed se abscondit, ut a nobis desideretur; et donec in patriam pervenimus, Jesus se totum nobis largiri vult, et nobiscum conjungi.

8. Amorem suum explere non potuit, quod per Incarnationem, passionem et mortem universo generi humano se totum tradidisset; sed reperire voluit, quomodo unicuique nostrum se totum daret; atque ideo instituit Altaris Sacramentum, ut singulis se immisceret. *Qui manducat meam carnem,* inquit,... *in me manet, et ego in illo* (Joan., VI, 57). In sacra Communione Christus et anima inter se commiscentur; neque illa conjunctio in solo voluntatum affectu sistit, sed vere et re perficitur. Unde S. Franciscus Salesius: « Nusquam blandiorem », inquit, « vel amantiorem se exhibet Salvator quam in hoc opere, quo velut ad nihilum se redigit seque in cibum convertit, ut animas nostras penetret seque conjungat cum suorum fidelium cordibus » [1]. Et S. Joannes

[1] *Introduct.*, partie II, chap. 24.

Chrysostomus: *Semetipsum nobis immiscuit, ut unum quid simus; ardenter enim amantium hoc est* [1].

9. Subjungit S. Laurentius Justinianus: *O mirabilis dilectio tua, Domine Jesu, qui tuo corpori taliter nos incorporari voluisti, ut tecum unum cor et animam unam haberemus inseparabiliter colligatam!* [2]. Et S. Bernardinus Senensis: *Ultimus amoris gradus est*, inquit, *quum se dedit nobis in cibum; quia dedit se nobis ad omnimodam unionem, sicut cibus et cibans invicem uniuntur* [3]. O quam gratum est Jesu Christo, cum animis nostris esse conjunctum! Dilectam suam famulam Margaritam Iprensem aliquando post receptam communionem his verbis allocutus est: « Vide, filia mea, quam præclara facta sit inter nos conjunctio; eja igitur, me amato, amore semper conjuncti maneamus, neque umquam separemur ».

10. Itaque persuasum habeamus, nihil nos facere vel cogitare posse, quod Jesu Christo gratius sit, quam communionem suscipere cum ea animi dispositione, quæ tanto hospiti reci-

[1] *Ad popul. Antiochen.*, hom. 61. — [2] *De incendio divini amoris*, cap. 5. — [3] Tom. 2, sermo 54, art. 4, cap. 1.

piendo conveniat: tunc enim cum Jesu Christo conjungimur, atque illud sibi vult amantissimus Dominus. Dixi, cum *convenienti*, non vero cum *digna* animi dispositione; si enim digna dispositio requireretur, quis umquam ad Communionem accedere posset? Nemo nisi alter Deus dignus foret, qui Deum in se reciperet. Eam autem *convenientem* dico, quæ miseræ creaturæ, infelici Adami carne indutæ, congruat. Satis est, si in universum loquimur, ad Communionem accedere in statu gratiæ et cum vivido in Jesu Christi amore proficiendi desiderio: « Ex solo amore », dicebat S. Franciscus Salesius, « Jesus Christus in S. Communione recipiendus est, quum et ille ex solo amore se nobis donet » [1]. Ceterum, quoties unicuique recipienda sit communio, relinqui debet judicio directoris. Nulla tamen conditio neque ullum officium, nec status conjugalis vel mercatoris professio frequenti communioni impedimento est, quum director eam opportunam judicet. Sic enim Innocentius PP. XI anno 1679 decreto suo statuit: *Frequens accessus (ad Eu-*

[1] *Introduct.*, partie II, chap. 21.

charistiam) confessariorum judicio est reliquendus, qui... laicis negotiatoribus et conjugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt.

11. Deinde animadvertendum est, sacra Communione nihil nobis esse utilius. Æternus Pater omnes suas divinas opes Jesu Christo tradidit: *Omnia dedit ei Pater in manus* (Joan., XIII, 3). Quapropter Jesus in S. Communione ad animam veniens, immensos gratiarum thesauros secum affert, et homo, communione refectus, vere dicere potest: *Venerunt... mihi omnia bona pariter cum illa* (Sap., VII, 11). S. Dionysius: Præ omnibus spiritualibus adjumentis, inquit, *Eucharistia maximam vim habet perficiendæ sanctitatis.* Et S. Vincentius Ferrerius majores fructus percipi ait ex semel recepta communione, quam ex jejunio in pane et aqua per hebdomadam servato.

12. Primum, ut docet Concilium Tridentinum, Communio est magnum illud remedium seu *antidotum, quo a culpis quotidianis liberemur, et a mortalibus præservemur* [1]. Dici-

[1] Sess. XIII, cap. 2.

tur « liberemur a culpis quotidianis », quia secundum S. Thomam [1] per hoc Sacramentum homo excitatur ad eliciendos actus caritatis, quibus peccata venialia delentur. Dicitur « a mortalibus præservemur », quia Communio confert augmentum gratiæ, quæ a culpis gravibus præservat. Quare Innocentius III : Jesus Christus, inquit, *per crucis mysterium eripuit nos a potestate peccati; per Eucharistiæ sacramentum liberat nos a voluntate peccandi* [2].

13. Præsertim autem hoc Sacramentum animas divino amore inflammat. *Deus caritas est* (1 Joan., IV, 8). *Ignis consumens est* (Deut., IV, 24), omnes terrenos cordis nostri affectus devorans. Hunc amoris ignem Filius Dei his in terris accensurus venit : *Ignem veni mittere in terram;* neque aliud cupit, nisi sacris his flammis hominum pectora ardere : *et quid volo, nisi ut accendatur?* (Luc., XII, 49). O quas divinæ caritatis flammas Jesus Christus suscitat in iis omnibus, qui in hoc Sacramento cum pietate ipsum suscipiunt! S. Catharina Senensis

[1] III, qu. 79, art. 4. — [2] *De sacro Altaris Mysterio*, lib. IV, cap. 44.

aliquando Christum in manu sacerdotis velut igneum globum conspexit, et mirata est, ejus ardore non comburi neque in cinerem abire corda hominum. S. Rosa Limana post Communionem talibus refulgebat radiis, ut nemo ejus vultum intueri posset, et tantum calorem ex ore emittebat, ut manum admoventes aduri se sentirent. Item referunt, S. Wenceslaum, hoc ipso quod ecclesias, in quibus Sacramentum asservaretur, visitatum iret, tanto incensum fuisse ardore, ut servus, qui eum semitis nive conspersis comitaretur, per ejus vestigia incedens, frigore non laboraret. Quocirca Chrysostomus: *Carbo est Eucharistia*, inquit, *quæ nos inflammat, ut tamquam leones ignem*, i. e. flammas amoris *spirantes ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles* [1].

14. Canticorum Sponsa: *Introduxit me* (rex) *in cellam vinariam*, inquit, *ordinavit in me caritatem* (Cant., II, 4). Vinaria illa cella, ut ait S. Gregorius Nyssenus [2], est ipsa Communio, qua homo divino amore adeo inebriatur, ut obliviscatur suiipsius et res creatas prorsus

[1] *Ad popul. Antiochen.*, hom. 61. — [2] *In Cantic.*, hom. 10,

negligat; atque illud Sponsa designat, quum amore se languere adjicit: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo* (vers. 5). Ego vero, dicet quispiam, ad Communionem rarius accedo, quod divino amore frigidiorem me cognosco. At, respondit Gerson [1], ab igne recedere vis, quia friges? Immo, quod frigore laboras, sæpius ad hoc Sacramentum accedere debes, dummodo Christum amare vere cupias. *Licet tepide, tamen confidens de misericordia Dei accedat; tanto magis æger necesse habet requirere medicum, quanto magis senserit se ægrotum* [2]. Similiter S. Franciscus Salesius: « Duo genera hominum », inquit, ad Communionem sæpe accedere debent; perfecti, ut in perfectione se conservent, imperfecti, ut perfectionem assequantur » [3]. Sed, si quis Communionem sæpe recipere velit, saltem requiritur, ut magnum desiderium habeat perveniendi ad sanctitatem et in Jesu Christi amore proficiendi. Aliquando Dominus S. Mechtildi dixit: « Ad Communionem accessura, desidera omnem

[1] *De Præparatione ad Missam*, consid. 4. — [2] *De Profectu Religiosorum*, lib. II, cap. 77. — [3] *Introduct.*, partie II, chap. 21.

amorem, quo umquam cor hominis erga me flagravit. Ego amorem illum suscipiam, sicut tu velles eum esse » [1].

Pii affectus et preces.

O Deus, ipsa caritas, qui et infinite amans es et infinito dignus amore, num aliquid tibi excogitandum superest, ut nostrum tibi concilies amorem? Satis non habuisti, humanam induere naturam ac nostras tam multas miserias suscipere. Satis non habuisti, omnem sanguinem, cruciatuum violentia extortum, nostra causa profundere, ut tandem dolore consumptus in patibulo perditissimis hominibus destinato exspirares. Demum sub panis speciebus te abscondere non dubitasti, ut cibus noster fieres et te integrum unicuique nostrum immisceres. Quid, mi Jesus, iterum rogo, quid excogitandum tibi superest, ut nostrum tibi concilies amorem? Heu nos miseros, si in hac vita te non diligamus! Æternitatem ingressi, quo conscientiæ remorsu vexabimur, quod te non dileximus! Nolo, mi Jesu, prius ex hac vita discedere,

[1] *Spiritualis gratiæ et Revelationum* lib. 3, cap. 22.

quam te diligam, plurimumque diligam. Admodum me pœnitet vehementerque doleo, quod tam sæpe tibi displicui; me pœnitet et dolore consumi vellem. Nunc super omnia te diligo; te plus quam meipsum diligo, omnesque cordis mei affectus tibi consecro. O tu, qui hoc desiderium mihi dedisti, da mihi illud exsequendi vires. Mi Jesu, mi Jesu, a te non postulo nisi teipsum. Quoniam ad amorem tuum me traxisti, omnia relinquo, omnibus renuntio, ad te me adstringo; tu solus mihi satis es. O mater Dei, Maria, Jesum pro me precare; sanctum me fac. Tot jam peractis prodigiis hoc etiam adde, ut peccatores in sanctos convertas.

CAPUT III.

Quantam fiduciam reponere debeamus in amore, quem Jesus Christus nobis exhibuit, et in omnibus, quæ pro nobis fecit.

1. David omnem spem salutis in futuro Redemptore collocabat, quum diceret: *In manus tuas commendo spiritum meum; redemisti me, Domine Deus veritatis* (Ps. XXX, 6). Quanto magis nos, nato jam Redemptore et redemptionis opere perfecto, fiduciam in Jesu Christo collocare debemus. Majori ergo cum fiducia unusquisque nostrum dicat et repetat: *In manus tuas commendo spiritum meum; redemisti me, Domine Deus veritatis.*

2. Si injuriæ Deo illatæ magnum mortis æternæ timorem nobis injiciunt, multo majorem æternæ vitæ spem afferunt Jesu Christi merita, quæ infinito plus ad salutem, quam peccata ad perditionem valent. Peccavimus, et inferni pœnas nobis promeruimus; sed Redemptor culpas nostras sibi imposuit, ut pas-

sione sua pro iis satisfaceret: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit* (Isaias, LIII, 4).

3. Infausto illo momento, quo peccavimus, Deus æternæ nostræ mortis sententiam pronuntiavit; quid autem fecit misericors Redemptor? *Delens quod adversus nos erat, chirographum decreti... et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci* (Coloss., II, 14). Damnationis decretum suo sanguine delevit, deletumque cruci affixit, ut nos mortis sententiam peccatis contractam adspiciendo, simul crucem adspiceremus, in qua Christus suo sanguine eam delevit; atque ita veniæ et æternæ vitæ spem reciperemus.

4. O quanto melius pro nobis loquitur, divinamque misericordiam nobis impetrat Jesu Christi sanguis, quam sanguis Abel contra Cain loquebatur! *Accessistis ad mediatorem Jesum et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel* (Hebr., XII, 22-24). Ac si diceret Apostolus: O felices peccatores, qui post peccatum ad Jesum crucifixum confugistis. Ille enim, ut pacis mediator fieret Deum inter et peccatores, ac veniam iis impetraret, omnem sanguinem ef-

fudit. Contra vos clamitent crimina vestra ; sed pro vobis loquitur sanguis Redemptoris, et ad illius sanguinis vocem non potest divina justitia non placari.

5. Severa quidem delictorum ratio reddenda est apud æternum judicem. At, quisnam judex erit? *Pater... omne judicium dedit Filio* (Joan., V, 22). Eja, bono simus animo : ipsi Redemptori Pater judicium nostrum commisit. Quare Apostolus his verbis animum nobis erigit : *Quis est, qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est,... qui etiam interpellat pro nobis* (Rom., VIII, 34). Quis est judex, qui nos condemnaret? Idem ille Redemptor, qui ne ad mortem æternam nos condemnaret, semet condemnare et mori voluit ; neque illud satis habens, nunc etiam in cælis apud Patrem saluti nostræ consulit. Quam ob causam S. Thomas a Villanova : *Quid times, peccator*, inquit, si peccatum tuum detesteris? *Quomodo te damnabit pœnitentem, qui moritur, ne damneris? Quomodo te abjiciet redeuntem, qui de cælo venit quærere te* [1], ab eo profugientem?

[1] *Tract. de Adv. Domini.*

6. Quodsi propter virium debilitatem timemus, ne opprimamur impetu hostium, qui debellandi remanent, en quid agendum moneat Apostolus: *Curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta* (Hebr., XII, 1-2). Forti animo ad certamen procedamus, intuentes Jesum crucifixum, qui de cruce sua auxilium, victoriam et coronam nobis porrigit. Olim cecidimus, quod a vulneribus et ignominiis Redemptoris oculos avertendo, auxilium ab eo non imploravimus. Si vero ob oculos habebimus, quanta nostri amore pertulerit, et quam paratus sit, ad se confugientibus opitulari, ab hostibus certo non superabimur. S Teresia, qua erat magnanimitate: « Non intelligo », inquiebat, « cur tremebundi passim exclamemus: diabolus, diabolus! quum clamando: Deus, Deus! ipsum diabolum perterrefacere possimus » [1]. Adjungebat autem: « Omnis nostra diligentia parum proficit, nisi, nobismetipsis prorsus diffisi, fiduciam in Deo reponamus » [2].

[1] *Vita*, cap. 25. — [2] Ibid., cap. 8.

7. O quam magna fiduciæ et amoris mysteria sunt Jesu Christi passio et Sacramentum Altaris! Quibus mysteriis, nisi ea affirmaret ipsa fides, quis assentiri posset? Deum omnipotentem fieri voluisse hominem, omnem sanguinem effundere, et cruciatibus succumbere in patibulo! Atque illud, ut peccata nostra rependeret, et nos, rebelles vermiculos, salvos faceret! — Corpus suum, in cruce pro nobis oblatum, in cibum largiri voluisse, ut prorsus unum nobiscum fieret! Oh Deus, hæc duo mysteria omnium hominum corda amore consumere deberent. Ecquis peccator, quantumvis perditus, si peccati commissi eum pœniteat, de impetranda venia possit desperare, quum viderit Deum tanto hominum amore incensum, et tam propensum ad beneficia iis conferenda? Quapropter fiducia plenus S. Bonaventura: *Fiducialiter agam,* inquiebat, *immobiliter sperans, nihil ad salutem necessarium ab eo negandum, qui tanta pro mea salute fecit et pertulit.*

8. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ,* sic hortatur Apostolus, *ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno* (Hebr., IV, 16). In cruce sua Jesus

velut in throno gratiæ sedet, omnibus ad se confugientibus gratias et misericordias dispensaturus. Sed sine mora illuc confugiendum est, quum auxilium ad salutem opportunum invenire possumus; nam postea fortasse tempus erit, quum illud jam invenire nequeamus. Confestim ergo et magna cum fiducia Christi crucem amplexemur. Nec propter miserias nostras animum despondeamus; in Jesu crucifixo omnes divitias, omnem gratiam reperiemus: *In omnibus divites facti estis in illo,... ita ut nihil vobis desit in ulla gratia* (1 Cor., I, 5-7). Jesu Christi merita cunctis divinis thesauris nos locupletarunt, atque idoneos nos reddiderunt omnibus gratiis, quas desideramus.

9. Morte sua, inquit S. Leo, magis nobis profuit Jesus, quam diabolus peccato nobis obfuerat: *Ampliora adepti sumus per Christi gratiam, quam per diaboli amiseramus invidiam*[1]. Quibus verbis explicatur illud S. Pauli, redemptionis donum peccato majus fuisse, et a gratia superatum esse delictum: *Non sicut delictum, ita et donum,... ubi abundavit deli-*

[1] *De Ascens.*, sermo 1.

ctum, superabundavit gratia (Rom., V, 15-20). Quocirca Redemptor nos excitat ad omnes gratias omniaque beneficia a suis meritis exspectanda. Quomodo autem nos, quæcumque optamus, ab æterno suo Patre consecuturi simus, his verbis docet: *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (Joan., XVI, 23). Quidquid optatis, inquit, meo nomine a Patre illud postulate; ego vobis promitto, preces vestras exauditum iri. Et quomodo Pater ullam gratiam nobis denegare poterit, quum jam dederit Unigenitum, quem sicut seipsum diligit? *Pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* (Rom., VIII, 32). Quum Apostolus dicat *omnia*, nulla gratia excipitur, non venia, non perseverantia, non divina caritas, non perfectio, non denique cælorum regnum, *omnia, omnia nobis donavit.* Sed precari necesse est; munificentissimum Deus precantibus se præbet: *Dives in omnes, qui invocant illum* (Rom., X, 12).

10. Ex Venerabilis Joannis ab Avila litteris plures hoc loco easque præclaras adjungere libet sententias de magna fiducia, quam in Jesu Christi meritis reponere debemus.

11. « Mementote, inter Patrem æternum et nos mediatorem esse Jesum Christum, eamque ob causam nos diligi et tam validis constringi caritatis vinculis, ut nulla vi dissolvi possint, nisi homo mortali culpa ea divellat. Sanguis Jesu Christi, misericordiam nobis implorando clamat; ita ut peccatorum nostrorum strepitus non percipiatur. Jesu Christi mors culpis nostris mortem intulit. *O mors, ero mors tua.* Qui pereunt, non ideo pereunt, quia deest satisfactio, sed quia nolunt ex Jesu Christi satisfactione, Sacramentorum ope, fructum sibi percipere.

12. » Sanationis nostræ negotium Redemptor haud aliter suscepit, ac si de suo negotio ageretur; quapropter peccata nostra, licet ea non commisisset, sua vocavit, et pro iis veniam petiit; summoque amore, ac si pro seipso precaretur, rogavit, ut qui sibi adhærerent, diligerentur. Et sicut petivit, ita quoque impetravit. Statuit enim Deus nos tam arcte cum Jesu Christo conjungere, ut aut simul diligamur aut simul odio habeamur; quum autem Jesus odio non habeatur neque haberi possit, nos quoque diligimur, quamdiu cum Jesu amore conjuncti manemus. Hoc ipso, quod Jesus a Deo diligatur,

nos item diligimur ; nam plus valet Jesus ad amorem nobis conciliandum, quam nos ad odium contrahendum valemus : quandoquidem æternus Pater plus Filium diligit, quam odio habet peccatores.

13. » Jesus Patri suo dixit : *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, et illi sint mecum* (Joan., XVII, 24). Major caritas minori odio præcelluit ; atque ita veniam accepimus et diligimur, certiores facti, numquam futurum esse, ut deseramur, tam valido caritatis nodo constricti. Per Isaiam Dominus loquitur : *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum ?... et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te* (Isai., XLIX, 15-16). Sanguine suo in manibus nos inscriptos habet. Nulla ergo re turbemur ; quidquid nobis accidit, illis ordinatur manibus, quæ in ejus erga nos amoris testimonium in cruce suffixæ fuerunt.

14. » Nihil est, quod nos tantum perterrefacere, quantum Jesus nos confirmare possit. Peccata commissa me circumstent, futurorum formido animum torqueat, laqueos tendat diabolus ; fieri tamen nequit, ut animum despondeam,

quum misericordiam imploravero Jesu Christi, cujus benignitas summa, cujus amor tantus est, ut mea causa vitam posuerit; tanti enim me habitum fuisse cerno, ut pro me se tradiderit Deus. O mi Jesu, tu portus securus es iis, qui tempestate jactati, ad te confugiunt. O vigilans pastor, fallitur quicumque tibi diffidit, dummodo se corrigere velit. Ideo dixisti: *Ego sum, nolite timere, ego qui affligo et consolor.* Nonnumquam tales affero desolationes, quæ inferno haud absimiles videantur; ex iis tamen postmodum eripio, ereptosque reficio. Advocati vestri munere fungor, vestram causam ut meam tueor. Sponsor vester, vestra debita solutum veni. Ego Dominus vester, qui meo sanguine vos redemi, non ut deseram, sed ut magno vos pretio redemptos divitiis ornem. Quomodo quærenti me subtraham ego, qui indagantibus, ut contumeliis me afficerent, ultro me obtuli? Ab eo, qui me persequebatur, faciem non averti: averterem ab eo, qui ad adorandum accedit? Quomodo filii de meo amore dubitent, quum eorum amore inimicis me traditum cernant? Quem umquam, me amantem, despicatus sum? Quem umquam, auxilium me rogantem, de-

stitui? Etiam non me quærentem, ego perquiro.

15. » Si credis, ab æterno Patre tibi datum esse Filium, item crede, cetera omnia eum tibi esse daturum, quæ multo minoris sunt Filio. Noli putare, Jesum Christum tui esse oblitum; nam in amoris sui memoriam maximum pignus tibi reliquit, seipsum in Altaris Sacramento » [1].

Pii affectus et preces.

O Jesu, amor mi, quam eximiam spem mihi affert passio tua! Quid ego timeam, ne peccatorum veniam, gloriam cælestem, omnesque, quibus indigeo, gratias mihi deneget omnipotens Deus, qui omnem sanguinem mihi non denegavit? O mi Jesu, spes mea, amor mi, tu, ne me perderes, vitam perdere voluisti. Te, mi Deus, mi Redemptor, super omne bonum diligo. Te integrum tu mihi donasti, ego tibi dono voluntatem meam integram, qua iterum dico et semper repetere volo: te amo, te amo,

[1] Pars II, epistola 48.

te amo. Illud semper dicam hac in vita; ita mori cupio; caram hanc vocem, « te, mi Deus, amo » in ore habens, extremum spiritum effundam, ut exinde te diligere incipiam amore sempiterno, neve umquam te diligere desinam. Te igitur amo, et quia te amo, præ ceteris malis doleo, quod tam graviter in te deliqui. Me miserum, qui ne fugaci privarer satisfactione, tam sæpe te, bono infinito, privari voluerim! Hujus rei memoria quolibet tormento magis me discruciat; at consolatur recordatio infinitæ tuæ Bonitatis, quæ se diligentem animum despicere nequeat. O si mori possem pro te, qui pro me mortuus es! Firmissime a te spero, dilecte Redemptor, æternam salutem in altera vita, in hac autem sanctam in tuo amore perseverantiam; quapropter statuo, eam semper a te flagitare. Tu autem, per tuæ mortis merita, fac ut te precari perseverem. Quam perseverantiam a te quoque, regina mea Maria, peto et exspecto.

CAPUT IV.

Quantopere Jesum Christum diligere teneamur.

1. Jesus Christus ut Deus omni nostro amore dignus est; sed sui amoris testimoniis nos velut cogere voluit, ut saltem in gratam memoriam eorum, quæ pro nobis fecit et pertulit, ipsum diligeremus. Multum nos amavit, ut a nobis multum amaretur. *Non ad aliud amat,* inquit S. Bernardus, *nisi ut ametur* [1]. Quod idem jam dixerat Moyses: *Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum,... et diligas eum?* (Deut., X, 12). Quapropter primum Dei præceptum hoc est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* (Deut., VI, 5).

2. S. Paulus: *Plenitudo... legis* (juxta Græcum: *completio legis*), inquit, *est dilectio* (Rom., XIII, 10). At quis umquam, Deum amore nostri in cruce morientem intuens, eum non di-

[1] *In Cantic.*, sermo 83.

ligere poterit? Spinæ illæ, clavi, crux, vulnera et sanguis nimis inclamant, ut eum diligamus, qui nos tantopere dilexit. Non sufficit cor nostrum ad redamandum Deum, amore nostri adeo captum : ad compensandum Jesu Christi amorem alter Deus pro eo mori deberet : « Quin ergo », exclamat S. Franciscus Salesius, « Jesum crucifixum amanter invadimus, ut in cruce moriamur cum eo, qui amore nostri illic mori voluit? »[1]. Monetque Apostolus : *Pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est* (2 Cor., V, 15).

3. Huc pertinet illud Ecclesiastici monitum : *Gratiam fidejussoris ne obliviscaris ; dedit enim pro te animam suam* (Eccli., XXIX, 20). Ut tuis delictis satisfaceret, morte sua pœnam tibi debitam persolvit. O quam gratum Jesu Christo facimus, quum ejus passionis sæpe recordamur ; quam ingratum, quum eam recolere negligimus! Si quis pro amico injurias, verbera et carcerem sustinuisset, cum quanto dolore resciret, amicum numquam ea recogitare,

[1] *Traité de l'amour de Dieu*, livre VII, chap. 8.

et ne de iis quidem loqui velle! Quam acceptum esset, crebris amicum et tenerrimis sermonibus ea commemorare, neque umquam gratias non referre! Ita Jesus Christus delectatur, nos suorum cruciatuum et mortis, quam pro nobis pertulit, grata dilectione recordari. Jesus Christus, priusquam in terras venisset, omnibus patriarchis, cunctisque gentibus in desiderio fuit. Quanto magis unicum nostrum desiderium, unicus amor noster esse debet, postquam venit et pro nobis tam multa fecit et pertulit, quin et mortem cruci affixus sustinuit?

4. Ideo Eucharistiæ Sacramentum, pridie quam morti occubuit, instituens, nos monuit: *Accipite et manducate; hoc est corpus meum... Hoc facite in meam commemorationem... Quotiescumque enim manducabitis panem hunc... mortem Domini annuntiabitis* (1 Cor., XI, 24-26). Unde Ecclesia precatur: *Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti.* Atque etiam cantat: *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus.* Inde colligimus, quam gratum Jesu Christo faciant, qui ejus passionis sæpe recordentur; quandoquidem ideo in Al-

taris Sacramento nobiscum remansit, ut continua grataque memoria ejus passionem recoleremus, et sic assidue proficeremus in ejus amore. Calvariæ montem S. Franciscus Salesius *montem amantium* vocabat [1]. Fieri nequit, ut quis illius montis recordetur, nec diligat Jesum Christum, qui amore nostri mortem illic obire voluit.

5. Eheu, cur homines Deum non diligunt, qui tot tantaque fecit, ut ab iis diligeretur? Ante Verbi Incarnationem homo dubitare poterat, num vero amore a Deo diligeretur; sed ex quo Dei Filius ad nos venit nostrique amore mortuus est, ecquis dubitare possit? S. Thomas a Villanova: Intuere, o homo, inquit, intuere crucem, tormenta, acerbam mortem, quam Jesus pro te pertulit; post tales ac tantas amoris significationes dubitare jam non potes, quin te diligat multumque diligat. *Testis crux, testes dolores, testis amara mors, quam pro te sustinuit* [2]. Et S. Bernardus, crucem ac singulas Redemptoris plagas proclamare ait, quantopere nos diligat.

[1] *Traité de l'amour de Dieu,* livre XII, chap. 13 (*a*). — [2] Dominica XVII post Pentec., concio 3.

6. In hoc magno humanæ redemptionis mysterio considerandum est, quo studio Jesus Christus varias invenire cogitaverit rationes, quibus amorem nostrum sibi conciliaret. Si pro salute nostra mori vellet, satis fuisset, una cum ceteris ab Herode necatis puerulis eum exstingui; veruntamen priusquam moreretur, per tres et triginta annos vitam agere voluit laborum et ærumnarum plenam, et in diversis conditionibus sese nobis exhibere, ut ad amorem suum nos alliceret. Primum egenus prodiit infantulus, in stabulo natus; puer deinde, officinæ addictus; tandem ut reus crucis supplicio affectus. Et antequam in cruce exspiraret, alias easque miserandas induere voluit formas, ut ad amorem nos moveret: in horto conspicitur factus in agonia, sanguineo sudore perfusus; mox in Pilati prætorio virgis laceratus; tum pro scenico rege habitus, arundinem manu tenens, panno purpureo humeris obducto, spinarum corona capiti imposita; humeris denique injecta cruce, publica via ad supplicium raptus; postremo in Calvariae monte tribus clavis ferreis suspensus. Eja, Deus, qui tantas ærumnas perpeti, totque artes adhibere voluit, quibus nostrum

sibi captaret amorem, estne dignus annon, qui a nobis diligatur? « Equidem », inquiebat P. Joannes Rigoleuc, « nihil aliud facerem nisi lacrimas effunderem amoris erga Deum, qui amore adductus est, ut propter hominum salutem moreretur ».

7. *Magna res amor*, inquit S. Bernardus [1]; magna, inquam, et pretiosa. Salomon divinam Sapientiam, qua sancta caritas designatur, infinitum thesaurum vocat, quia, qui caritatem habeat, divinæ amicitiæ particeps factus sit: *Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei* (Sap., VII, 14). Caritatem non solum omnium virtutum reginam esse ait S. Thomas [2], sed etiam ubi imperet, velut regio comitatu ceteras omnes virtutes secum afferre, easque eo dirigere, ut cum Deo arctius conjungamur; sed proprie ipsius caritatis est, cum Deo nos conjungere, ut ait S. Bernardus: *Caritas est virtus conjungens nos Deo.* Et sæpenumero testantur S. Scripturæ, Deum eos diligere, a quibus diligatur: *Ego diligentes me diligo* (Prov., VIII, 17).

[1] *In Cantic.*, sermo 83. — [2] *Qu. de caritate*, art. 3.

Si quis diligit me..., Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (Joan., XIV, 23). *Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo* (1 Joan., IV, 16). En quam præclaram caritas efficiat conjunctionem : animam cum Deo conjungit. Præterea caritas vires præbet ad magna quæque pro Deo facienda et sustinenda : *Fortis est ut mors dilectio* (Cant., VIII, 6). Unde S. Augustinus : *Nihil tam durum*, inquit, *quod amoris igne non vincatur* [1] : nihil tam arduum est, quin superetur fervore caritatis ; nam : *in eo, quod amatur, aut non laboratur, aut et labor amatur* [2].

8. Audiamus, quid in anima, ubi regnet, caritatem efficere dicat S. Joannes Chrysostomus : « Dei amor animum, quem semel occupavit, insatiabili pro amato operandi desiderio inflammat. Quo fit, ut quantumvis multa aut magna operetur, quantumvis diu protractum tempus Dei servitio impendat, animus nihil egisse sibi videatur, semper crucietur, quod Dei causâ tam pauca præstet, et lætaretur in-

[1] *De moribus Eccl. cath.*, cap. 22. — [2] *De bono viduitatis*, cap. 21.

terire et pro eo destrui, si hoc sibi liceret. Quapropter, quidquid agit, inutilem se reputat; etenim amore edoctus, quid Deus mereatur, ad lumen tam splendidum defectus actionum suarum persentit; planeque conscius, actiones suas tanto Domino valde indignas esse, cuncta ruborem atque angorem afferunt ».

9. Quantopere fallitur, inquit S. Franciscus Salesius, qui sanctitatem in Dei amore non reponit. Nonnulli, inquit, perfectionem in vitæ austeritate constituunt, alii in eleemosyna eroganda, alii in oratione, alii in Sacramentis frequentandis. Ego aliam non cognosco perfectionem quam toto corde Deum diligere [1]; ceteræ virtutes sine caritate nihil aliud sunt nisi acervus lapidum [2]. Quodsi sanctam illam caritatem nondum plene comparavimus, nos ipsi in culpa sumus, quod nosmetipsos nondum integros Deo tradidimus.

10. Dominus aliquando S. Teresiam monuit: *Vanum est, quidquid mihi gratum non facit* [3]. Utinam omnes magnam illam veritatem intelligerent: *Porro unum est necessarium* (Luc.,

[1] *Introd. à la vie dévote*, partie I, chap. 1. — *Esprit*, partie I, chap. 25. — [2] *Esprit*, partie VII, chap. 4. — [3] *Vita*, cap. 40.

volo. Ah, ne permiseris, ut posthac a te discedam et a te jam divellar. Fac, totus tuus sim; per mortis tuæ merita illud perfice. In tua morte firmam repono fiduciam. Magnam quoque in tua intercessione fiduciam repono, o Maria. Fac, regina, ut Jesum Christum diligam; fac, ut te quoque diligam, o mater et spes mea.

—

NOTÆ.

(*a*) Pag. 58: Théotime, le mont Calvaire est le mont des amants. Tout amour qui ne prend pas son origine dans la passion du Sauveur, est frivole et périlleux. Malheureuse est la mort sans l'amour du Sauveur: malheureux est l'amour sans la mort du Sauveur. L'amour et la mort sont tellement mêlés ensemble dans la Passion du Sauveur, qu'on ne peut avoir dans le cœur l'un sans l'autre. Sur le Calvaire on ne peut avoir la vie sans l'amour, ni l'amour sans la mort du Rédempteur.

CAPUT V.

Caritas patiens est.

Jesu Christi amantem libenter pati.

1. Hic mundus, quum sit locus acquirendi merita, simul patiendi locus est; patria nostra, ubi Deus requiem in æterno gaudio nobis paravit, in cælo reperitur. Brevi quidem tempore his in terris vivimus; at exiguo illo temporis spatio multæ sustinendæ sunt molestiæ: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis* (Job, XIV, 1). Pati necesse est, nec cuiquam molestiæ desunt; sive justis, sive peccatoribus, sua cuique crux ferenda est. Quam qui æquo animo tulerit, salutem consequetur; qui iniquo, peribit. Eædem miseriæ, inquit S. Augustinus, alios ad cælum, ad infernum alios perducunt: *una eademque tunsio bonos producit ad gloriam, malos redigit in favillam* [1]. Similiter: Molestiarum ex-

[1] Sermo 52 (Inter supposititios, in Appendice. Adscribendus videtur Cæsario, Episcopo Arelatensi).

perimento, inquit, palea a frumento in Ecclesia Dei discernitur: qui in rebus adversis animum submittit et ad divinam voluntatem se conformat, paradisi frumentum est; qui vero superbiâ elatus et iracundiâ effervescens, a Deo deficit, palea est inferni [1].

2. Quo die decernenda erit salutis nostræ causa, vitam nostram Christi vitæ similem reperiri oportet, ut fausta prædestinatorum sententia nobis obveniat. *Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui* (Rom., VIII, 29). Ideo Verbum æternum in terras descendit, ut exemplo suo nos doceret, cruces, a Deo nobis impositas, patienter ferre. *Christus passus est pro nobis*, inquit S. Petrus, *vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus* (1 Petr., II, 21). Christus ergo pati voluit, ut nos ad patiendum incitaret. O Deus! Quænam Jesu Christi vita fuit? Vita, ignominiarum et molestiarum plena. Propheta Redemptorem vocat: *despectum et novissimum virorum, virum dolorum* (Isai., LIII, 3); quia vita Jesu Christi repleta fuit ærumnis et doloribus.

[1] S. Augustini Sermo 252 (al. de Diversis 5), n. 6 (*a*).

3. Sicut autem Deus dilectum suum Filium tractavit, ita quoque tractat quemcumque diligit et in filium adoptat. *Quem enim diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit* (Hebr., XII, 6). Quare S. Teresiam monuit: « Sic habeto, carissimas meo Patri animas eas esse, quæ majoribus molestiis crucientur » [1]. Unde sancta illa virgo, quum molestiis afficeretur, has omnibus hujus mundi thesauris permutare se nolle ajebat. Post mortem animæ cuidam apparens, in cælis maximo se præmio auctam dixit, non tam ob bona sua opera quam ob ærumnas, hac in vita libenter pro Deo toleratas; et si ob ullam causam ad hunc mundum regredi voluisset, hanc solam fuisse futuram, ut pro Deo aliquid pati sibi liceret.

4. Deum diligens, molestiis lucrum paradisi duplicat. S. Vincentius a Paulo [2], hac in vita nihil pati, in maximis malis habendum esse ajebat; congregationem porro vel personam, quæ nihil patiatur et cui omnes applaudant, ruinæ suæ proximam esse. Quare S. Fran-

[1] *Vita*, addit. — [2] Abelly, livre 3, chap. 43.

ciscus Assisiensis, quo die nullam pro Deo molestiam pateretur, timebat, ne Deus sui fere oblitus esset. Si quis a Deo gratiam patiendi accipiat, inquit S. Joannes Chrysostomus [1], majori beneficio donatur, quam si potestatem reciperet mortuos resuscitandi; patrando enim miracula, homo debitor est Deo; patiendo Deum sibi debitorem reddit. Eum autem, qui pro Deo aliquid patiatur, etiamsi nullum aliud donum accepisset nisi ipsam pro Deo, quem diligit, patiendi opportunitatem, magno ait [2] præmio esse affectum; se ergo pluris facere gratiam, qua S. Paulus catenis pro Jesu Christo esset constrictus, quam qua in tertium cælum raptus esset.

5. *Patientia autem opus perfectum habet* (Jac., I, 4). Quæ verba significant, nihil Deo acceptius esse quam si anima patienter et placide perferat omnes cruces, quas ei imposuerit. Amoris est, amantem amato similem reddere. « Singula Redemptoris vincula », inquit S. Franciscus Salesius, « velut totidem ora sunt, quibus docemur, quomodo pro eo pati oporteat.

[1] *In epist. ad Philipp.*, cap. 1, hom. 4, n. 3 (*b*). — [2] *In epist. ad Eph.*, cap. 4, hom. 8, n. 1 (*c*).

Hæc scientia Sanctorum est, pro Jesu constanter pati; quod faciendo, cito Sancti erimus ». Qui Jesum diligit, iisdem rebus affici exoptat, quibus Jesus affectus est: paupertate, afflictatione et ludibrio. S. Joannes omnes Sanctos candidis vestimentis indutos et palmas manibus tenentes vidit: *Amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum* (Apoc., VII, 9). Palma est martyrii signum; sed non omnes Sancti martyrium subierunt; quid ergo est, quod singuli palmas manibus teneant? Respondet S. Gregorius, omnes Sanctos aut ferro aut patientiâ martyres fuisse; et subjungit: *Nos sine ferro esse martyres possumus, si patientiam ... custodimus* [1].

6. Animæ, Jesu Christi amantis, meritum in hoc est situm, ut diligat et cruciatus perferat. En, quid Dominus S. Teresiæ dixerit: « Putasne, filia, deliciis contineri meritum? Minime vero; in patiendo et amando positum est. Meam intuere vitam, mólestiarum omnino plenam. Hoc tibi, filia, persuasum sit, eum, qui a Patre meo magis diligatur, majoribus ab eo affici molestiis, iisque respondere amorem. Hæc

[1] *In Evang.*, hom. 35 (*d*).

vulnera inspice; eo numquam pervenient tui dolores. Fallitur, qui credat, Patrem meum in familiaritatem suam eos admittere, qui molestiarum expertes vivunt » [1]. Et ad nostram consolationem S. Teresia adjungit: « Deus numquam immittit aliquam molestiam, quin statim aliquo beneficio eam compenset » [2]. Jesus Christus quodam die beatæ Baptistæ De Varanis apparens, tria esse dixit maxima beneficia, quæ dilectis sibi animis conferat: primum, non peccandi; alterum, quod majus est, bona opera faciendi; tertium, quod maximum est, cruciatus propter ejus amorem perferendi [3]. Quare S. Teresia monet, Deum afflictione aliqua rependere bene factum, quod ejus causâ fiat [4]. Quapropter Sancti, ærumnis afflicti, gratias Deo persolvebant. S. Ludovicus, Gallorum rex, de sua apud Turcas captivitate loquens: « Magis gaudeo », inquiebat, « et majores Deo gratias ago, quod captivitatis meæ tempore patientiam mihi concessit, quam si totam regionem armis subegissem ». Et S. Elisabeth, Thuringiæ comitissa, defuncto conjuge, regno suo una cum

[1] *Vita*, addit. — [2] *Vita*, cap. 30. — [3] *Vita*, cap. 7 (Vide Bolland., die 31 Maji). — [4] *Liber fundationum*, cap. 31.

filio expulsa, errabunda et ab omnibus destituta, monasterium Ordinis S. Francisci adiit, ibique S. Ambrosii hymnum decantari jussit, ad gratias Deo agendas, quod tantum beneficium, patiendi propter ejus amorem, sibi contulisset.

7. S. Josephus Calasanctius: « Ad comparandum paradisum », inquiebat, « omnis labor exiguus est habendus ». Quod idem jam dixerat Apostolus: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (Rom., VIII, 18). Magnum lucrum faceret, qui per totam vitam omnes sanctorum Martyrum cruciatus toleraret, ut ad unum horæ momentum cæli deliciis frueretur; quanto magis nos cruces amplecti oportet, cognitum habentes, exiguæ hujus vitæ molestiis æternam beatitudinem comparari? *Momentaneum et leve tribulationis nostræ... æternum gloriæ pondus operatur in nobis* (2 Cor., IV, 17). S. Agapitus, paucorum annorum puerulus, quum tyrannus candenti galea caput ejus se combusturum minaretur: « Numquid ego prosperiorem fortunam habere possim », respondit, « quam quod caput hic amittam, ut in cælis diademate cinctum il-

lud recuperem? » Unde S. Franciscus: « Quod bonum exspecto, tantum est », inquiebat, « ut omnibus adversis delecter » [1]. Qui autem paradisi coronam expetit, dimicet ac patiatur necesse est: *Si sustinebimus, et conregnabimus* (2 Tim., II, 12). Nec præmium sine merito, nec sine patientia meritum esse potest: *Non coronatur, nisi qui legitime certaverit* (2 Tim., II, 5). Qua porro majori patientia quis dimicaverit, eo præclariori donabitur corona. Mirum dictu! Homines temporalia hujus mundi bona quam plurima sibi comparare nituntur; si vero agatur de bonis æternis, dicunt: In paradisi angulum nos admitti satis est! Non ita Sancti loquuntur. In hac vita vel minima re contenti sunt; immo, terrenas opes etiam abjiciunt; sed quod ad opes æternas attinet, eas sibi quam plurimas consequi conantur. Uter, quæso, agendi modus sapientior est atque prudentior?

8. Verum etiam in hac vita, quo majori patientia aliquis adversa sustinet, eo majori pace fruitur. His in terris, inquiebat S. Philippus Nerius [2], purgatorium non existit; nam aut pa-

[1] Apophthegma 57. — [2] Bacci, lib. II, cap. 20.

radisus est aut infernus: qui molestias æquo animo suffert, paradiso fruitur; qui iniquo, inferni pœnis cruciatur. Et re quidem vera; qui crucem, a Deo sibi impositam, amplectitur, ut ait S. Teresia, ejus onere non gravatur. S. Franciscus Salesius, plurimis aliquando ærumnis oppressus: « Ex aliquo tempore », inquit, « crebræ vexationes et occultæ contradictiones, quæ mihi acciderunt, animum tam suavi pace perfundunt, ut nihil supra possit; mihique prænuntiant, in eo esse, ut anima mea in Deo quiescat; quam unam rem revera ambio atque exopto » [1]. Qui flagitiose vivit, animi quietem numquam inveniet; ei soli hoc contingit, qui Deo divinæque voluntati conjunctus vivit. Religiosus quidam Missionarius, quum in Indiis supplicio viri capite damnati præsens adesset, ab eo arcessitus, hæc sibi dicentem audivit: « Scito, Pater, me olim tuo Ordini fuisse adscriptum. Donec regulas servabam, semper contentus vixi; ubi vero pristinum ardorem remittere cœpi, statim vel minima re gravabar, adeo ut tandem, Ordine relicto, omnibus in-

[1] *Esprit*, partie X, chap. 19.

dulcrim vitiis, quæ ad hunc miserum exitum me perduxerunt ». Deinde subjunxit: « Hæc tibi fateri volui, ut meum exemplum ceteris prodesse possit ». Ven. Ludovicus de Ponte dicebat: « Hujus vitæ dulcia pro amaris, amara pro dulcibus habeto; sic continua animi pace gaudebis ». Dulcia enim, quamquam sensus delectant, acerbos conscientiæ morsus relinquunt ex vitiosa, quam afferre solent, delectatione; amara vero, patienter ex manu Dei accepta, dulcia et grata fiunt amanti animæ.

9. Persuasum habeamus, in hac valle lacrymarum cum vera animi tranquillitate non posse vivere nisi eum, qui, ut Deo placeat, ærumnas amanter toleret et amplectatur; illud secum fert corruptio, qua peccatum nos omnes inquinavit. Sanctorum his in terris conditio est, ut amando patiantur; Sanctorum in cœlesti patria, ut amando fruantur. Paulus Segneri Junior, ut quamdam pœnitentem ad patiendum incitaret, ad imam Crucifixi effigiem hæc verba eam scribere jussit: *Sic amatur*. Non ipsum pati, sed voluntas pro Jesu Christo patiendi, certissimum est veri erga eum amoris indicium. Quid autem, inquit S. Teresia, pretiosius esse

potest, quam aliquod habere testimonium, se Deo placere? [1]. Proh dolor! plerique ad ipsum crucis, humiliationis vel ærumnæ nomen exhorrescunt. Nec tamen desunt Dei amantes animæ, quæ nulla re magis delectantur quam ærumnis perferendis, et insolabiliter pene dolerent, si vitam cruciatuum expertem agerent. « Mihi, Jesum crucifixum intuenti », dicebat sancta quædam anima, « ipsa crux tam amabilis evadit, ut sine cruciatibus felix esse non posse mihi videar. Jesu Christi amor omnia mihi est ». En, quid Jesus ei suadeat, qui ipsum sequi cupiat: *Tollat crucem suam quotidie, et sequatur me* (Luc., IX, 23). Sed eam tollere et bajulare oportet, non invito vel alieno animo, sed cum humilitate, patientia et amore.

10. O quam gratum Deo facit, qui humili et pacato animo divinitus sibi impositam crucem amplectitur! « Non est lignum », inquiebat S. Ignatius de Loyola, « magis aptum ad suscitandum et nutriendum divini amoris ignem quam lignum sanctæ crucis »; id est, quam in mediis ærumnis Deum diligere. Sanctæ Ger-

[1] *Vita*, cap. 10.

trudi aliquando quærenti, quodnam jucundissimum ei offerre posset donum, Dominus respondit: « Hoc mihi gratius nihil facere potes, filia, quam quod omnes, quæ tibi accidunt, afflictationes, patienter sustineas ». Quare egregia Dei Serva, Soror Victoria Angelini, per unum diem cruci esse affixum, præstare ajebat centum annis, in aliis pietatis exercitiis peractis. Et Ven. P. Joannes ab Avila: « Præstat, in adversis vel semel Deo benedicere », inquit, « quam millies gratias ei agere in prosperis ». Eheu! nesciunt homines, quid valeant molestiæ, pro Deo toleratæ. B. Angela Fulginas: « Si nosceremus », inquit, « quam pretiosi sint cruciatus, pro Deo tolerati, *rapina digni* nobis viderentur »; id est, patiendi occasionem alter alteri eripere conaretur. Quapropter S. Maria Magdalena de Pazzis, cruciatuum pretio agnito, vitam suam protrahi malebat, quam mori et cælestem gloriam ingredi; *in cælis enim*, inquiebat, *nihil patiendum superest.*

11. Qui Deum diligit, non aliud quærit nisi ut Deo penitus adhæreat; ut autem ad perfectam illam conjunctionem perveniri possit, en quid dicat S. Catharina Genuensis: « Ut ad

conjunctionem cum Deo perveniatur, rebus adversis opus est, quia per eas Deus internos et externos animi nostri pravos motus absumere intendit. Ac proinde injuriæ, contemptus, valetudinis infirmitas, propinquorum et amicorum defectio, quidquid rubori est, tentationes et quidquid adversi accidere potest, hæc omnia summe necessaria nobis sunt, ut assidue pugnantes et victorias reportantes, ad exstinctionem pravorum motuum perveniamus, adeo ut eos jam non sentiamus; et donec omnia infortunia non amplius acerba, sed propter Deum suavia nobis non videntur, ad conjunctionem cum Deo non pervenietnus ».

12. Anima igitur, quæ tota Dei esse cupit, hoc secum statuere debet, ut scribit S. Joannes a Cruce [1], non commoda, sed molestias in omnibus hujus vitæ rebus quærere, avide complectendo omnes mortificationes, quibus ultro se afflictet; atque avidius et majori cum amore, utpote Deo acceptiores, eas omnes, quæ præter voluntatem acciderint. *Melior*, inquit Salomon, *est patiens viro forti* (Prov., XVI, 32). Qui

[1] *Ascensus ad montem Carmelum*, lib. II, cap. 7.

jejunio, ciliciis et flagellis corpus vexat, Deo quidem placet propter fortitudinem, quam in afflictando corpore exercet; at multo magis placet, qui fortem se ostendit in ærumnis, quæ a Deo immittuntur, cum patientia et alacritate perferendis. « Afflictationes », inquit S. Franciscus Salesius, « quibus aut a Deo afficimur aut, permittente Deo, ab hominibus, semper pluris sunt habendæ iis, quæ ab arbitrio nostro oriuntur; perpetua quippe norma est, tanto aliquid Deo acceptius esse nobisque utilius, quanto minus ex optione nostra provenerit » [1]. Similiter S. Teresia monet: « Majus lucrum nobis facimus, per unum diem tolerando molestias, quæ aut a Deo aut ab hominibus proveniunt, quam perferendo per decem annos cruciatus, ad nostrum arbitrium electos » [2]. Quocirca S. Maria Magdalena de Pazzis, qua erat magnanimitate, non esse ajebat tam acerbam hac in vita molestiam, quam non alacris toleraret, secum reputans, a Deo eam derivari. Et re quidem vera, quum per quinque annos asperrima quæque pateretur, divinæ Voluntatis eam ad-

[1] *Esprit*, partie XVIII, chap. 4. — [2] *Via perfectionis*, c. 37.

monere satis erat, ut ad animi tranquillitatem rediret. O quam exiguum est quodlibet impendium, quo Deus, ingens ille thesaurus, acquiratur. *Quanticumque Deus est*, inquit P. Hippolytus Durazzo, *carus numquam est.*

13. Eja, Dominum precemur, ut nos sancto suo amore dignos reddat. Quodsi Deum perfecte amabimus, pro fumo atque luto omnia terrena bona, pro deliciis ignominias atque molestias habebimus. Audiamus, quid S. Joannes Chrysostomus de iis dicat, qui se totos Deo tradiderunt: « Ubi aliquis ad perfectum Dei amorem pervenit, ita se habere incipit, ac si solus in hoc mundo esset. Nihil curat neque gloriam neque opprobrium; tentationes atque ærumnas aspernatur; creaturarum omnium gustum atque appetitum perdit. Nullibi præsidium, nullibi requiem reperiens, amatum sine ulla intermissione conquirere non cessat: ut, sive operi est intentus, sive alimentum sumit, sive dormit sive vigilat, in omni denique et actione et sermone hoc unum cogitat, hoc unum concupiscit, amatum reperire; ibi enim cor reposuit, ubi thesaurum suum habet ».

Hoc capite de patientia in genere disseruimus; capite XV exponemus, in quibus vitæ adjunctis patientia potissimum exerceri debeat.

Pii affectus et preces.

Carissime et dilecte Jesu, o cordis mei thesaure, injuriis, quibus te affeci, indignus factus sum, qui te amare possim; sed per merita tua te precor, puro tuo amore dignum me redde. Te super omnia amo; quod olim te despexi, teque ex animo meo expuli, toto corde doleo. Nunc autem te magis quam meipsum amo; ex toto corde te amo, o bonum infinitum: te amo, te amo, te amo, neque aliud quidpiam cupio quam te perfecte amare; hoc unum timeo, ne sancti amoris tui expers vivam. O amantissime Redemptor, fac ut cognoscam, quantum bonum tu sis, et quanto amore me amaveris, ut ad te redamandum me constringeres. Ah, mi Deus, noli permittere, ut immensæ tuæ bonitati ingratus vivere pergam. Satis superque te offendi; iterum te deserere nolo; quod vitæ tempus mihi supererit, omne illud ad te amandum tibique placendum adhibere volo. Adjuva me,

mi Jesu, amor mi; peccatorem adjuva, qui te amare et totus tuus esse cupit. O spes mea, Maria, Filius tuus te audit; eum pro me exora; impetra mihi gratiam eum perfecte diligendi.

NOTÆ.

(*a*) Pag. 69: « Isti ergo, fratres, qui carnalia quærunt in Ecclesia, et non sibi proponunt quid promittat Deus: quia hic sunt tentationes, pericula, difficultates, post temporales autem labores requiem sempiternam promittit, et Angelorum sanctorum societatem; sibimet ergo ista non proponentes, sed carnalia desiderantes in Ecclesia, sive sint in area sive sint foris, palea sunt... Bonum est illis ut fiant frumentum. Hoc enim interest inter illas veras paleas et istos carnales homines, quia paleæ illæ non habent liberum arbitrium, homini autem Deus dedit liberum arbitrium. Et si vult homo, heri fuit palea, hodie fit frumentum: si a verbo Dei se avertat, hodie fit palea ». Et paulo ante (num. 5) dixerat: «Venti autem perflant undique aream... Quando it omnis palea? Quando venerit Dominus ferens ventilabrum in manu sua, et mundabit aream suam, frumentum recondet in horreum, paleam autem comburet igni inexstinguibili » (Matth., III, 12). — Confer etiam: *de Civitate Dei*, lib. I, cap. 8: « Nam sicut sub uno igne aurum rutilat, palea fumat; et

sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur; nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem preli pondere exprimitur: ita una eademque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat; malos damnat, vastat, exterminat. Unde in eadem afflictione mali Deum detestantur atque blasphemant; boni autem precantur et laudant. Tantum interest, non qualia, sed qualis quisque patiatur. Nam pari motu exagitatum et exhalat horribiliter cœnum, et suaviter fragrat unguentum ».

(*b*) Pag. 71: En ipsa ejus verba (in cap. 1, vers. 29): « *Quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* Rursus illos componit, ut de se modeste sentiant, totum Deo adscribens, et gratiam et charisma et donum esse dicens pati pro Christo. Itaque ne vos pudeat de charismate: est enim longe admirabilius, quam mortuos ad vitam revocare ac cetera miracula facere. Nam ibi quidem ego sum debitor; hic vero debitorem habeo Christum. Quare tantum abest, ut probri loco id habendum sit, ut potius sit exsultandum et gaudendum, quippe qui charisma habeamus ».

(*c*) Pag. 71: « Aliis quidem videtur esse ridiculum, si probro et contumelia esse affectum, sit esse dignitatem assecutum, si probro esse affectum, sit lætari: iis autem, qui sciunt Christi desiderium, hoc esse existimatur omnium beatissimum. Si quis mihi offerret totum cælum aut illam catenam, ego illam præferrem: si quis me apud superos collocaret

cum angelis, aut cum Paulo vincto, eligerem carcerem... Nihil est melius quam mala pati propter Christum. Non tam beatum prædico Paulum, quod raptus sit in paradisum, quam quod conjectus sit in carcerem: non tam enim dico beatum, quod audierit arcana verba, quam eum censeo beatum propter vincula; non tam beatum dico, quod raptus sit in tertium cælum, quam propter illa vincula... Non propterea bonum est vinctum esse propter Christum, quod ea res regnum conciliet, sed quod ea fiat propter Christum; non propterea beata prædico vincula, quod transmittant in cælum, sed quod ea sint propter Dominum cæli ».

(*d*) Pag. 72: « Quia », inquit, « natalem martyris hodierna die colimus, fratres mei, nequaquam nos a virtute ejus patientiæ existimare extraneos debemus. Si enim, adjuvante nos Domino, virtutem patientiæ servare contendimus, et in pace Ecclesiæ vivimus, et tamen martyrii palmam tenemus. Duo quippe sunt martyrii genera, unum in mente, aliud in mente simul et actione. Itaque esse martyres possumus, etiamsi nullo persecutientium ferro trucidemur. Mori quippe a persequente, martyrium in aperto opere est; ferre vero contumelias, odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione... Et nos ergo hoc exemplo sine ferro esse possumus martyres, si patientiam veraciter in animo custodimus ».

CAPUT VI.

Caritas benigna est.

Jesu Christi amantem amare lenitatem.

1. Deo propria est benignitas: *Spiritus enim meus super mel dulcis* (Eccli., XXIV, 27). Ita quoque, si quis Deum diligit, amore suo omnes, quos Deus amat, complectitur, omnibus sibi proximis ultro et libenter succurrit, omnes solatur, omnibus morem gerit, quoad fieri licet. S. Franciscus Salesius, sanctæ lenitatis magister et exemplar: « Humilis lenitudo », inquit, « est virtus virtutum, quam Dominus Jesus tantopere commendavit; ac proinde semper et ubique exercitari debet » [1]. Quare hanc statuit agendi normam: « Quidquid cum amore fieri poterit, illud facite; omittite, quæ sine contentione fieri nequeunt » [2]. Intellige, quæ sine Dei offensa omitti possunt; Dei enim offensa semper et quamprimum impediri debet ab eo, qui eam impedire tenetur.

[1] Epistola 853. — [2] Epistola 768.

2. Quam lenitatem potissimum erga pauperes exerceri oportet; siquidem hoc ipso, quod pauperes sint, durius tractari solent. Similiter erga ægrotos, qui corporis infirmitate afflicti, plerumque parum adjuvantur. Præsertim lenitate utendum est erga inimicos. *Vince in bono malum* (Rom., XII, 21). Odium amore, lenitate persecutiones vinci debent; Sancti ita fecerunt, sibique infensissimorum hominum conciliarunt benevolentiam.

3. Nihil est, inquit S. Franciscus Salesius, quod ad virtutem tantum alliciat, quantum in omni agendi ratione caritatis plena benignitas [1]. Ipse autem ore renidenti, vultu benigno, verbis et habitu affabilitatem spirantibus exhibere se solebat; ut S. Vincentius a Paulo de eo diceret [2], numquam benigniorem virum se cognovisse, et ipsius Jesu Christi benignitatem ad vivum in eo expressam sibi videri. Etiam quum abnueret, quæ salva conscientia concedere non posset, tam comiter se gerebat, ut ii quoque, quorum precibus non esset satisfactum, bono et contento animo abirent. Nec

[1] Epistola 605. — [2] Abelly, livre III, chap. 27.

solum erga superiores, sed in æquales etiam et subditos eâdem erat benignitate, nec minus domi quam extra domum; qua in re ab iis multum aberat, qui, ut ejus verbis utar, *angeli foris, domi dæmones videntur* [1]. De famulorum culpis non querebatur, et si quandoque eos admonebat, benignis illud faciebat vèrbis. Quæ res omnibus, qui auctoritate præsunt, magnæ laudi est ducendum. Præpositos summa benignitate erga subditos uti oportet. Mandatum imponentes precari potius quam imperare debent. « Nihil », inquit S. Vincentius a Paulo, « ad obedientiam in subdito magis confert quam præpositi benignitas ». Similiter S. Joanna de Chantal: « Plures », inquit, « gubernandi modos periclitata, nullum benigno atque clementi præstare intellexi » [2].

4. Etiam in vituperandis delictis Superior benignus sit oportet. Aliud est gravibus, aliud asperis verbis reprehendere. Graviter reprehendere quandoque necesse est; quum nempe subditus graviter deliquit, et præsertim quum, licet admonitus, in eamdem culpam relapsus

[1] *Introduction*, partie III, chap. 8. — [2] *Mémoires de la Mère de Chaugy*, partie III, chap. 19.

est. Cavendum vero, ne aspere aut iracunde reprehendamus : irarum plena reprehensio noxia potius quam utilis est. Quam asperitatem S. Jacobus significavit, quum *zelum amarum* improbaret. Nonnulli gloriantur, aspero suo regimine familiam in officio contineri ; atque ita gubernandum esse affirmant. At non item S. Jacobus : *Quod si zelum amarum habetis*, inquit,... *nolite gloriari* (Jac., III, 14). Si umquam necesse esset, id quod raro incidere poterit, aliquod verbum asperum adhibere, ut reus delicti gravitatem intelligat, ad extremum nihilominus ore suavi blandoque sermone dimittatur. Ad Samaritani exemplum vino et oleo vulnera sanari debent. Verum, ut ait S. Franciscus Salesius, sicut oleum ceteris liquidis supernatat, ita benignitas in omni actione prominet oportet. Quod si reus animi motu perturbatus cernitur, differenda objurgatio est, donec ira defervescat ; qui secus ageret, eum vehementius incitaret. S. Joannes, canonicus regularis : « Ardenti ædificio », inquiebat, « lignum addi nefas est ».

5. *Nescitis cujus spiritus estis* (Luc., IX, 55). Ita Jesus Christus discipulis suis, Jacobo et

Joanni, respondit, quum Samaritanos, qui finibus suis eos expulerant, castigatione emendari vellent. Eheu, inquit Jesus, quo vos spiritu animati estis? Non meo, qui totus suavis, totus benignus est. *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare* (Ibid., vers. 56). Vos autem ad eas perdendas me hortamini? Tacete, nec jam ea petite, quæ a spiritu meo omnino sint aliena. Et re quidem vera; quanta benignitate Jesus cum muliere adultera egit! *Mulier,* inquit,... *nemo te condemnavit?... Nec ego te condemnabo. Vade, et jam amplius noli peccare* (Joan., VIII, 10-11). Satis ergo habuit eam monere, ne denuo delinqueret; quo facto, in pace eam dimisit. Similiter quam benigne mulierem Samaritanam ad bonam frugem reducendam suscepit, et revera reduxit! Primum rogat, ut bibere sibi daret; deinde adjungit: *Si scires... quis est, qui dicit tibi: da mihi bibere* (Joan., IV, 10). Tandem ei revelat, se esse Messiam exspectatum. Præterea quam blande Judam tractavit, ut sceleratissimus iste resipisceret! Ex eâdem patinâ secum vesci eum sinit; pedes ei lavat; ipso proditionis momento

eum admonet: *Juda, osculo Filium hominis tradis?* (Luc., XXII, 48). Et quomodo Petrum, qui ipsum negaverat, ad pœnitentiam adduxit? *Conversus Dominus respexit Petrum* (Ibid., vers. 61). Pontificis domum egressus, ne ullo quidem adhibito vituperationis verbo, benigno eum oculo intuetur; atque ita tanto eum animi dolore implevit, ut ille, quoad vixit, injuriam magistro illatam lugere non cessaverit.

6. O quanto plus suavitate quam amaritudine proficitur! Quemadmodum, inquit S. Franciscus Salesius, nuces, quibus nihil est amarius, si saccharo condiuntur, suaves et jucundæ fiunt; ita reprehensiones, quamvis in seipsis injucundæ, amanter et benigne factæ, gratæ et hoc ipso magis fructuosæ evadunt. S. Vincentius a Paulo se in moderanda sua Congregatione ajebat, non sæpius quam ter asperis verbis aliquem reprehendisse, et tunc quidem credidisse, recte se agere; postea tamen facti semper pœnituisse, quod sibi parum prospere successisset, quum benigna reprehensio numquam non habuisset felicem exitum [1].

[1] Abelly, livre III, chap. 27.

7. Lenitate sua S. Franciscus Salesius ab aliis omnia impetrabat; atque ita vel pertinacissimos peccatores ad Deum allicere potuit. Haud aliter agebat S. Vincentius a Paulo, qui suis hanc tradidit sententiam: « Affabilitate, caritate et humilitate mirum quantum capiuntur hominum corda, et impelluntur ad ea amplectenda, a quibus natura vel longissimo abhorreat ». Accidit, ut uni ex suis sacerdotibus commisisset magnum peccatorem, quem ad pœnitentiam reduceret. Is, quum omnia expertus nihil proficeret, a sancto viro petivit, ut ipse paucis cum alloqueretur. Quod quum fecisset, peccator resipuit. Qui quidem postea confessus est, singulari Vincentii benevolentia et caritate animum suum fuisse allectum. Quam ob causam sanctus vir non ferebat, a suis Missionariis aspere eos tractari, qui ad pœnitentiæ tribunal accederent; eosque monuit, nonnullorum rigore diabolum uti, ut graviorem animis perniciem inferat.

8. Benignitatem erga omnes et in qualibet rerum temporumque conditione exerceri oportet. Advertit S. Bernardus [1], nonnullos mansuetos

[1] *In Adventu Domini*, sermo 4 (a).

esse, donec omnia ad voluntatem sibi succedant; ubi vero aliqua res adversa aut contradictio acciderit, illico inflammari et Vesuvii montis instar fumum emittere: carbones candentes, sed cinere cooperti, vocari possunt. Quicumque ad sanctitatem pervenire cupit, velut lilium inter spinas esse debet; id est, quantumvis spinis pungatur, lilium esse numquam desinit, sed in suavitate et lenitate sibi constat. Qui Deum vere diligit, pacem in corde servat assidue, et vultu demonstrat; quidquid acciderit, in rebus aut prosperis aut adversis, sibi æqualem se præbet. Quod quidem his verbis expressit Cardinalis Petruccius:

Cernit in terris genus omne rerum
Usque mutari; stabili sed ipse
Pace firmatur, penito recondens
Pectore Numen.

9. Qua quisque mente sit affectus, res adversæ detegunt. S. Franciscus Salesius tenerrimo amore prosequebatur Visitationis Ordinem, qui tanti laboris sibi fuisset. Verumtamen, licet eum propter insectationes, quibus urgeretur, ad extremum discrimen sæpius adductum cerneret,

animi pacem numquam amisit, adeo ut, si Deo placuisset eum destrui, etiam contentus mansisset. Quo ipso tempore hæc verba protulit: « Ex aliquo tempore molestiæ et vexationes, quæ tam crebræ mihi acciderunt, tam suavi pace animum perfundunt, ut supra nihil possit; mihique prænuntiant, non multum abesse, quin anima mea in Deo penitus quiescat, quæ est unica cordis mei cupiditas » [1].

10. Si ei, qui injuriosius nos tractet, respondere debeamus, benigna semper responsio sit oportet: *Responsio mollis frangit iram* (Prov., XV, 1). Ad exstinguendum iracundiæ ignem benigna responsio satis est. Quod si effervescere animum sentimus, tacere præstat; stomachantibus quippe nobis, quidquid in promptu est, eloqui, æquum nobis videbitur; ubi vero ira ceciderit, manifestum nobis erit, tot nos commisisse culpas, quot verba protulerimus.

11. Quod si nobismetipsis aliquam culpam contrahere contigerit, etiam nobiscum lenitate utendum est. Sibi post culpam admissam irasci, non est humilitas, sed subtilior superbia, ac si

[1] *Esprit*, partie X, chap. 19.

imbecilli vel miseri non essemus. « Humilitas, quæ animum perturbat », inquit S. Teresia, « non a Deo, sed a diabolo provenit » [1]. Post culpam contractam sibi stomachari, nova culpa est eaque major, quæ plures alias secum est allatura ; efficiet enim, ut pietatis exercitia, orationem et Communionem, vel omittamus vel parum bene peragamus. « Aqua turbida », inquiebat S. Aloisius Gonzaga, « pellucida non est ; libenter in ea piscatur diabolus ». Animus, perturbatione agitatus, Deum suumque officium parum cognoscit. Quum igitur aliquam culpam commisimus, cum humilitate et fiducia ad Deum conversi, ejus veniam implorare, eique cum S. Catharina Genuensi dicere debemus : « Hi quidem, Domine, horti mei fructus sunt. Ex toto corde te amo, tibi displicuisse me pœnitet, iterum illud facere nolo ; adjuva me ».

[1] *Vita*, cap. 30.

Pii affectus et preces.

O beata vincula, quæ animas cum Deo colligatis, ah, me quoque constringite, idque tam firmiter, ut a Dei mei amore divelli jam non possim. Te amo, Jesu mi, o thesaure, o vita animæ meæ, te complector, me integrum tibi dono. Numquam, dilectissime Redemptor, te amare desinam. Tu, ut pro meis peccatis satisfaceres, velut reum te vinciri, et vinctum per Hierosolymitanas plateas ad mortem duci passus es; Tu cruci affigi, nec prius de ea descendere voluisti, quam vitam amisisses; ah, per tot cruciatuum merita, noli permittere, me umquam a te separari. Quod olim te deserui, super omnia mala doleo; tuaque gratia opitulante, potius mori statuo quam vel graviter vel leviter tibi displicere. Tibi, mi Jesu, me committo. Ex toto corde te amo; te magis quam meipsum diligo. In te peccavi; me pœnitet; utinam dolore consumerer! Ad te me totum pertrahe. Blanditiis tuis renuntio; te solum volo, nec quidquam aliud. Fac, ut te diligam; cetera non curo. O Maria, spes mea, cum Jesu me colliga; fac,

ut cum eo ligatus vivam et moriar, donec aliquando ad beatum regnum perveniam, ubi desinam timere, ne a sancto ejus amore divellar.

NOTÆ.

(*a*) Pag. 93: « Sunt », inquit, « et alii mites, sed quamdiu nihil dicitur vel agitur nisi pro eorum arbitrio; patebit autem, quam longe sint a vera mansuetudine, si levis oriatur occasio ».

CAPUT VII.

Caritas non æmulatur.

Dei amantem non invidere optimatibus, sed iis solum, qui divino amore sibi antecellant.

---

1. S. Gregorius hanc caritatis notam explicans, ideo Dei amantem non æmulari ait, quia mundi splendorem, quem non modo non cupiat, sed etiam aspernetur, mundanis invidere nesciat: *Non æmulatur, quia per hoc quod in præsenti mundo nihil appetit, invidere terrenis successibus nescit* [1]. Est igitur duplex distinguenda æmulatio, perversa una, altera sancta. Perversa ea est, quæ invidet et conflictatur propterea quod alii terrestria bona in hoc mundo possident. Sancta æmulatio ea est, cui optimates, qui in honoribus et hujus vitæ oblectamentis vivunt, non excitant invidiam, sed potius commiserationem movent. Ipsa nihil

(1) *Moral.*, lib. X, cap. 8.

quærit, nihil desiderat præter Deum, neque aliud in hac vita cupit nisi totis viribus eum diligere; eamque ob causam sancte invidet iis, qui eum magis diligunt: vellet enim in eo amando ipsis Seraphim præcellere.

2. Hunc unicum finem animæ sanctæ his in terris sibi proponunt; quo fine cor divinum amore adeo rapitur et inflammatur, ut exclamet: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum* (Cant., IV, 9). Unus ille oculus significat unicum animæ sponsæ propositum finem, ut in omnibus, quæ peragat aut cogitet, Deo placeat. Qui vitæ mundanæ dediti sunt, res agendas pluribus intuentur oculis; plures enim inordinatos fines sibi proponunt, vel placendi hominibus, vel famam acquirendi, vel suas augendi fortunas, vel saltem animo suo obsequendi; animæ vero sanctæ uno solo instructæ sunt oculo, quo in omni vitæ actione nihil aliud, nisi quid Deum delectet, inspiciunt; et cum Davide dicunt: *Quid enim mihi est in cœlo? et a te quid volui super terram?... Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum* (Ps. LXXII, 25-26). Quid ego, mi Deus, et in

hac et in altera vita nisi te solum expeto? Tu divitiæ meæ, tu unicus cordis mei es Dominus. *Sibi habeant*, inquit S. Paulinus, *divitias suas divites, sibi regna sua reges; nobis gloria et possessio et regnum Christus est* [1].

3. Non solum bona opera facienda, sed ea etiam bene facienda esse meminerimus. Ut opera nostra bona et perfecta sint, non alio nisi Deo placendi consilio fieri debent. Hæc digna laus Jesu Christo data fuit: *Bene omnia fecit* (Marc., VII, 37). Multæ actiones, in seipsis laudabiles, parvi aut etiam nihili erunt coram Deo, quod alio fine quam ad Dei gloriam peractæ sint. S. Maria Magdalena de Pazzis: *Deus*, inquiebat, *puritatis pondere actiones nostras rependit* [2]. Id est, pro intentionis nostræ puritate actiones nostræ gratæ et præmio dignæ a Deo habentur. At, bone Deus, opus, solius Dei causa peractum, quam difficile inventu est! Memini, religiosum quemdam, eximiæ virtutis provectioris que ætatis virum, qui multis pro Deo susceptis laboribus sanctitatis famam reliquit, quum aliquando totius vitæ

[1] Epistola 38, n. 6. — [2] Puccini, *Vita*, parte I, cap. 58.

spatium respexisset, graviter commotum animoque perterritum mihi dicere: « Eheu! consideranti mihi singulas vitæ meæ actiones ne una quidem occurrit, solius Dei causâ peracta ». O exsecrandum amorem sui, qui recte actorum præmio aut penitus aut magna ex parte nos spoliet. Quam multi vel sanctissimis officiis prædicatoris, confessarii aut missionarii desudant omnemque impendunt laborem, et parvum tamen vel nullum lucrum sibi faciunt, quod non Deum solum intuentur, sed hominum existimationem, suum emolumentum, prodeundi vanitatem vel saltem animi sui propensionem.

4. *Attendite*, inquit Dominus, *ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est* (Matth., VI, 1). Quicumque laborat, ut voluntati suæ obsequatur, mercedem suam jam recipit. *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (Ibid., vers. 5). At quam mercedem? Quæ ad tantillum fumi recidit aut ad inanem evanidamque satisfactionem sine ullo animæ lucro. Aggæus propheta cum ait, qui alia mente quam ut Deo placeat, operetur, omnem quæstum in saccum pertusum

recondere, quem quum aperuerit, vacuum reperiat: *Et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum* (Agg., I, 6). Unde fit, ut illi, quum propositum non assequantur, valde angantur animo. Quæ res indicio est, eos non solam Dei gloriam sibi proposuisse: qui solius Dei gloriæ causâ rem aggreditur, animo minime turbatur, etiamsi conata non perficiat; suum enim Deo placendi finem assecutus est.

5. Signa autem, quæ indicant, aliquem spirituali negotio solius Dei causâ operam dare, hæc sunt:

1. Si finem non assecutus, animo non turbetur; ipse enim non vult exitum, quem Deus fieri non voluit.

2. Si æque lætetur de bono, quod alii fecerunt, ac si ipse illud fecisset.

3. Si munus muneri non præoptet, sed in eo acquiescat, quod præpositorum voluntas imposuerit.

4. Si post opus peractum, ab aliis nec grati animi significationem nec comprobationem conquirat; quo fit, ut neque moleste ferat, si in ceterorum vituperationem vel improbationem incurrat: hoc scilicet contentus, quod Deus con-

tentus sit. Si autem ab hominibus laudetur, nihil inde superbit, sed inanem gloriam, quæ se intrudere conatur, iisdem, quibus olim Ven. Joannes ab Avila, verbis alloquitur : « Abi hinc, sero venisti, quoniam integrum opus Deo jam traditum est ».

6. Et hoc est illud *intrare in gaudium Domini*, seu de Dei gaudio gaudere, quod fidelibus servis promittitur : *Euge, serve bone et fidelis ; quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam ; intra in gaudium Domini tui* (Matth., XXV, 21). Unde S. Joannes Chrysostomus : *Si dignus fueris agere aliquid, quod Deo placet,* inquit, *aliam præter id mercedem requiris?* [1] Hæc merces, hæc fortuna est, qua præclariorem creatura assequi non potest, Creatori suo complacere.

7. Illud quoque Jesus Christus postulat ab anima, quæ ipsum vere diligit. *Pone me,* inquit, *ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum* (Cant., VIII, 6). Ab ea exposcit, ut ipsum et cordi et brachio velut signum imponat ; *cordi,* ut quidquid fa-

[1] *De Compunctione,* lib. II ad Stelechium, n. 6 (*a*).

cere cogitat, solius Dei amore perficere sibi proponat; *brachio*, ut quidquid operatur, Dei delectandi causa peragat; atque ita omnes ejus cogitationes et actiones ad solum Deum dirigantur. Dicebat S. Teresia, eum, qui sanctus fieri cupiat, nullum nisi Deo complacendi desiderium admittere debere. Et prima ejus filia, Ven. Beatrix ab Incarnatione: « Nullo pretio », inquiebat, « rependi potest vel minimum, quod Dei causâ factum est » [1]. Et re quidem vera; quidquid Deo placendi causâ perficitur, actus caritatis est, qui cum Deo nos conjungit, nobisque æterna comparat bona.

8. Puritas intentionis alchymia cælestis dicitur, qua ferrum in aurum transmutatur, i. e. actiones vel maxime vulgares (ut labor corporis, ciborum usus, animi relaxatio, quies a lassitudine), Dei causâ peractæ, in sanctæ caritatis aurum convertuntur. Quare pro certo habebat S. Maria Magdalena de Pazzis, eos, qui omnia cum pura intentione faciant, purgatorio prætermisso, rectâ paradisum ingredi. Sanctus quidam eremita solitus fuisse narratur,

[1] *Vita*, cap. 2; *Liber fundationum*, cap. 12.

priusquam aliquid ageret, paulisper consistere oculosque ad cælum erigere; atque interrogatus, cur ita faceret, respondisse: *Certo ictu destinatum ferire studeo.* Quibus verbis significare volebat, quemadmodum sagittarius, quo certius dirigat ictum, telum ante collineat quam emittat; ita se, ut Deo gratum faceret, prius ad eum velut scopum suum spectare, quam operi manus admoveret. Quod et nobis faciendum est; immo proderit, etiam in decursu operis Deo placendi intentionem identidem redintegrare.

9. Ii, qui in rebus divinis nihil nisi divinam voluntatem curant, sancta illa spiritus libertate fruuntur, quæ filiorum Dei propria est; qua præditi, quidquid Jesu Christo placet, amplectuntur, quantumvis reclamitet aut amor sui aut respectus humanus. Amor Jesu Christi efficit, ut animæ amantes æquissimis oculis cuncta adspiciant, et omnia, sive dulcia sive amara, æqualia sibi reputent; nihil eorum, quæ sibi arrident, cupiunt, quidquid Deo gratum est, sectantur. Magnis rebus æque libenter quam vilissimis operam dant, jucundis haud minus propenso animo quam injucundis; satis enim habent, Deo rem probari.

10. Multi vero volunt quidem Deo servire, sed in certo quodam munere, hoc illove loco, certis quibusdam sibi adjunctis sociis, nonnullis denique conditionibus adjectis; quod nisi fiat, opus aut omittunt aut invito animo peragunt. Hi autem spiritus libertate non utuntur, sed amoris sui sunt mancipia; unde et exiguum meritum etiam ex iis, quæ recte agunt, percipiunt; et animo turbati vivunt, quum Jesu Christi jugum iis grave fiat. Qui Jesu vere amantes sunt, non amant nisi perficere id, quod Jesu placeat, idque ob nullam aliam rationem, nisi quia Jesu placeat; atque eo temporis momento, eo loco eoque modo, quo Jesus Christus velit, sive in vita hominibus honorifica sive obscura et ingloria. Hoc est, Jesum Christum puro amore diligere; ad illud summa contentione niti oportet, reprimendo impetum, quo amor nostri in operibus honorificis atque in iis, ad quæ naturâ propensiores sumus, occupari cupiat.

11. Mens nostra libera et soluta esse debet ab omnibus, etiam spiritualibus, exercitiis, quum Dominus nos aliis occupationibus retentos velit. Patri Alvarez aliquando, quum a negotiis, qui-

bus valde implicatus esset, expedire se quæreret, quia Deo conjunctus non esse sibi videretur, ipse Dominus: « Quamquam ego », inquit, « te non retineo mecum, tibi tamen sufficiat, quod tuâ operâ ego utar ». Quæ verba iis dicta sint, qui nonnumquam animo turbantur, quum vel obedientiæ vel caritatis præcepto obstricti, solita pietatis exercitia prætermittere debent; sciant, perturbationem illam nequaquam a Deo, sed aut a diabolo aut ab amore sui provenire. Deo gratum facere, et mori: hoc primum est Sanctorum axioma.

Pii affectus et preces.

Tibi, æterne Deus, totum cor meum offero; sed eheu! quale cor offero tibi? cor, creatum illud quidem, ut te diligat, sed quod toties a te defecit. Hoc tamen, mi Jesu, respice, quod cor meum, quamquam olim tibi restitit, nunc contritum est et vehementer dolet, quod tibi displicuit. Doleo, dilectissime Redemptor, quod te contempsi, et quocumque pretio tibi obedire teque diligere volo. Ah, ad tuum amorem me totum pertrahe, idque per amorem, quo pro

me in cruce moriens me amasti. Te amo, mi Jesu, ex tota anima te amo, te amo plus quam meipsum, o vere, o unice animæ meæ amans; nam præter te nemo amore mei vitam profudit. Lacrimas mihi elicit ingrati mei animi memoria. Heu me miserum, jam perieram ego; sed te gratiâ tuâ ad vitam me revocasse spero. Et hæc vita mihi erit, te semper diligere, summum meum bonum. Fac, ut te diligam, o amor infinite, nec aliud quidquam a te peto. O mater mea Maria, in servum tuum me recipe, et fac, ut Jesus, filius tuus, me recipiat.

—

NOTÆ.

(*a*) Pag. 104: « Quid ais, o homo pusillanimis et infelix? res Deo placita agenda tibi proponitur, et tu de mercede sollicitus es? Si post peractam rem in gehennam conjiciendus esses, an detrectandum esset? nonne tunc etiam magna cum alacritate manum bonis operibus admovere par esset? Rem Deo acceptam facis, et aliam mercedem requiris? Vere ignoras, quantum boni sit, placere Deo; si id namque scires, nullum aliud huic par præmium esse putares ».

CAPUT VIII.

Caritas non agit perperam.

Jesu Christi amantem ■ tepore abhorrere, sectari vero perfectionem. Cujus adjumenta sunt desiderium, propositum, oratio mentalis, Communio, precatio.

---

1. S. Gregorius, hæc verba: *non agit perperam* explicans: Caritas, inquit, quum semper magis in solum Dei amorem incumbat, quidquid rectum sanctumve non est, admittere nequit: *Quia (caritas), quæ se in solum Dei amorem dilatat, quidquid a rectitudine discrepat, ignorat* [1]. Idem jam docuerat Apostolus, dicens, caritatem velut vinculum perfectissimas in anima virtutes inter se colligare: *Caritatem habete, quod est vinculum perfectionis* (Coloss. III, 14). Et quum caritas perfectione delectetur, abhorret a tepore, quocum nonnulli Deo serviunt non sine magno periculo, cari-

[1] *Moral.*, lib. X, cap. 8.

tatem, divinam gratiam, animæ salutem, omnia denique perdendi.

2. Notari tamen debet, duplicem dari teporem, unum inevitabilem, evitabilem alterum. *Inevitabilis*, qui etiam in sanctis reperitur, eas complectitur culpas, quas sine pleno voluntatis consensu, sed ex sola naturali fragilitate committimus. Tales sunt mentis in oratione aberratio, interna perturbatio animi, verba inutilia, vana cognoscendi studia, in publicum prodeundi cupido, delectatio in cibo potuque sumendo, concupiscentiæ motus non statim repressi, et similes. Quas quidem culpas, quoad fieri potest, vitare debemus; vitare tamen omnes, propter naturæ nostræ peccato corruptæ debilitatem, non possumus. Commissas utique detestari oportet, quum Deo displiceant; sed cavendum (ut in superiori Capite monuimus), ne propter eas animo perturbemur. Cogitationes, quæ mentem perturbant, inquit S. Franciscus Salesius [1], non veniunt a Deo, qui est princeps pacis; sed vel a diabolo, vel ab amore nostri, vel ab æstimatione, qua nobismetipsis probamur.

[1] Epist. 51.

3. Illæ igitur cogitationes, quæ nos perturbant, illico repellendæ et prorsus negligendæ sunt. Et sicut indeliberatas culpas præter voluntatem admisimus, ita, inquit S. Franciscus, præter voluntatem etiam delentur: ad eas tollendas quilibet actus doloris et caritatis sufficit. Ven. Soror Maria Crucifixa, Ord. S. Benedicti, quodam die igneum vidit globum, qui magno numero injectas stipulas in cinerem redigebat. Qua figura intellexit, fervidum divini amoris actum omnes animæ inhærentes maculas absumere. Quod idem efficit sacra Communio, ut constat ex Tridentina Synodo quæ Eucharistiam vocat: *Antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis* [1]. Illæ ergo culpæ, licet vere culpæ sint, non impediunt tamen perfectionem; i. e. non impediunt, quominus ad perfectionem tendamus; nemo enim mortalium perfectionem assequitur, priusquam ad beatorum regnum perveniat.

4. Perfectionem impedit tepor *evitabilis*, quo quis peccata venialia plene voluntaria admittit; illæ enim culpæ apertis oculis commissæ, etiam in præsenti statu, cum divina

[1] Sessio XIII, cap. 2.

gratia vitari possunt. Quare S. Teresia: « A peccato », inquit, « considerate admisso, quantumvis exiguo, liberet te Deus » [1]. Tales sunt, exempli gratia, voluntarie prolata mendacia, leviores murmurationes, imprecationes, animi offensio verbis manifestata, irrisiones, aspera verba, laudes sibi tributæ, tenax ira in pectore custodita, inordinata affectio erga personam alterius sexus. « Vermes sunt », inquit S. Teresia, « qui non apparent, nisi corrosis virtutibus » [2]. Quocirca monuit: « Minimis rebus diabolus foramina molitur, quæ magnis aditum præbeant » [3].

5. Illas ergo voluntarias culpas pertimescamus oportet; Deus enim propter eas et clariores illustrationes et validiora auxilia subtrahit, nec suis amplius nos recreat solatiis; quo fit, ut anima pietatis exercitia magno cum fastidio magnaque molestia peragat, mox autem orationem, communionis frequentiam, Sacramenti salutationes et novenas incipiat omittere, ac tandem cuncta negligat, ut non paucis misere accidit.

[1] *Via perfectionis*, cap. 42. — [2] *Internum animæ castellum*, 5ª mansio, cap. 3. — [3] *Liber fundationum*, cap. 29.

6. Illud significat hæc Domini comminatio: *Neque frigidus es, neque calidus; utinam frigidus esses ...; sed quia tepidus es ..., incipiam te evomere* (Apoc., III, 15-16). Mirum dictu! *Utinam*, inquit, *frigidus esses!* Quid? Frigidum, id est, sine Dei gratia, quam tepidum esse præstat? Ita vero, quodammodo præstat frigidum esse. Nam qui frigidus est, conscientiæ morsibus vexatus, facilius ad bonam frugem revertitur; qui vero tepidus, culpis suis indormire assuescit, nullo animi dolore mordetur, de emendatione nihil cogitat, atque ita curationem prope desperatam reddit. *Tepor*, inquit S. Gregorius, *(qui a fervore defecit), in desperatione est!* [1]. Ven. P. Ludovicus a Ponte innumerabiles quidem culpas se commisisse ajebat; numquam tamen pacem cum iis fecisse. Nonnulli cum culpis suis pacem ineunt, atque illud exitio iis futurum est, præsertim quum culpa nascitur ex eo, quod passioni inhæreant æstimationis suiipsius, desiderii prodeundi, aviditatis pecuniæ, doloris injuriæ acceptæ vel inordinatæ affectionis erga personam alterius sexus. Magnum tunc periculum adest, ne tali

[1] *Pastor.*, pars III, admon. 35.

animæ (ut S. Franciscus Assisiensis ajebat) capilli catenæ fiant, quibus ad infernum rapiatur. Aut saltem ad sanctitatem non amplius perveniet, et præclaram illam perdet coronam, quam Deus ei paravisset, si gratiæ fuisset obsequentior. Avis, omni vinculo soluta, illico evolat; anima, omni terreno affectu libera, protinus ad Deum fertur, ligata vero vel tenuissimo filo, ad Deum assurgere non poterit. O quam multi, vitæ spirituali dediti, ad sanctitatem non perveniunt, quod nonnullis leviori-bus vinculis se expedire negligunt!

7. Hæc autem totius mali causa est, quod Jesus Christus parum diligitur. Omnes isti, præclara sui existimatione inflati; omnes, qui ægritudini se dedere solent, quum adversa sibi accidunt; qui multum sibi parcunt, ne noceant valetudini; qui animum rebus externis apertum et mentem in iis semper occupatam tenent, cupidissimi cognoscendi sexcentas nugas, quæ ad Dei servitium nihil pertinent, sed tantum animo explendo prosunt; qui quamlibet offensiunculam, qua affecti sibi videntur, tam ægre ferunt, ut animo turbati, orationi mentisque recollectioni desint; qui modo piissimos

et festivos, modo irritabiles et morosos se præbent prout res vel secundæ vel adversæ acciderint: hi omnes Jesum Christum neutiquam vel parum diligunt, et veræ devotionis existimationem auferunt.

8. Quid vero ei faciendum est, qui in miserandam teporis conditionem inciderit? Est quidem languenti animæ valde difficile, pristinum sibi revocare fervorem; monet tamen Dominus: *Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum* (Luc., XVIII, 27). Qui orationem et adjumenta necessaria adhibet, quidquid voluerit, assequetur. Ad torporem excutiendum et perfectionis viam ineundam, hæc quinque sunt idonea adjumenta: 1. Perfectionis desiderium. 2. Firmum ad eam perveniendi propositum. 3. Oratio mentalis. 4. Frequens Communio. 5. Precatio.

9. Primum igitur adjumentum est perfectionis *desiderium*. Sanctis desideriis velut alis in sublime ferimur; nam, ut ait S. Laurentius Justinianus, desiderium sanctum *vires subministrat, pœnam exhibet leviorem* [1], id est,

[1] *De disciplina et perfectione monasticæ conversationis*, cap. 6.

non tantum vires, quibus viâ perfectionis incedamus, suppeditat, sed etiam incedendi laborem minuit. Qui perfectionem vere desiderat, in ea progredi numquam desistit, atque ita tandem ad eam perveniet. Qui ex contrario eam non desiderat, semper regreditur et in dies imperfectior erit. In via Domini, inquit S. Augustinus, *non progredi, jam reverti est* [1]. Qui ad progrediendum diligentiam non adhibet, corruptæ naturæ impetu raptus, regrediatur necesse est.

10. Valde errant, qui asserunt, *Deum non velle, omnes homines sanctos fieri.* Non ita, inquit S. Paulus: *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra* (1 Thess., IV, 3). Deus vult omnes sanctos fieri, pro sua quemque conditione; religiosum prout religioso congruit, laicum prout laico, sacerdotem prout sacerdoti, matrimonio junctum prout matrimonio juncto, negotiatorem prout negotiatori, militem prout militi, et sic deinceps, ut postulaverit uniuscujusque status. Insignia hac de re documenta tradit magna mea patrona, S. Teresia. « Excelsum

[1] *Epistola seu liber ad Demetriadem*, cap. 27 (a).

animum geramus », inquit, « inde bonum nostrum oriatur ». « Ne comprimamus desideria; sed Deo freti confidamus, nos strenue laborantes paulatim eo esse perventuros, quo multi sancti, divina adjuvante gratia, pervenerunt » [1]. Quod ut confirmet, testatur, se vidisse, animosos homines intra breve spatium magnos fecisse progressus. « Deus enim », inquiebat, « desideriis adeo delectatur, ac si prosperum exitum jam habuissent ». « Nec sua exquisita dona confert nisi iis, qui divinum amorem ardenter concupiverint » [2]. « Neque umquam omittit, bonum aliquod desiderium in hac vita remunerari [3]; est enim amicus generosis animis, dummodo sibimetipsis diffidant » [4]. Quo quidem generoso animo prædita erat Teresia, ita ut aliquando assereret, parum sua interesse, alios in paradiso majoribus frui voluptatibus; se vero nescire, quomodo perferret, quemquam ibi magis quam seipsam, Deum diligere [5].

11. Quapropter magno simus animo. *Bonus est Dominus... animæ quærenti illum* (Thren.,

[1] *Vita*, cap. 13. — [2] *Via perfectionis*, cap. 35. — [3] *Vita*, cap. 4. — [4] Ibid., cap. 13. — [5] Franc. Riviera S. J., *Vita della B. Madre Teresa*, lib. IV, cap. 10.

III, 25). Deus valde benignum et largum se præbet cuilibet, ex animo Ipsum quærenti. Nec sanctitati obtinendæ commissa peccata impedimento sunt, dummodo ad sanctitatem pervenire revera cupiamus. « Efficere conatur diabolus », inquit S. Teresia, « ut excelsa habere desideria, et Sanctos imitari velle, superbia esse videatur; at summopere expedit, ad excelsa animum impellere; nam licet vires non statim suppeditent, ipso tamen nobili illo impulsu anima jam multum profecit » [1]. Monet Apostolus: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (Rom., VIII, 28); quibus verbis glossa adjunxit: *etiam peccata*. Peccata commissa ad sanctificationem nostram adjuvare possunt, quatenus eorum recordatio humiliores et gratiores nos reddit erga Deum, qui, licet peccatis nostris graviter offensus, plurima tamen nobis conferat beneficia. Equidem, ita peccator secum reputet, nihil possum neque ullum habeo meritum; solam inferni pœnam mihi promerui: verumtamen res mihi geritur cum Deo infinitæ bonitatis, qui promisit, se exauditurum

[1] *Vita*, cap. 13.

esse cujuslibet preces; nunc ergo quum me, ex damnationis statu jam ereptum, ad sanctitatem tendere velit mihique suum offerat auxilium, ego quoque sanctus fieri possum, non meis viribus, sed cum Dei corroborantis gratia: *Omnia possum in eo, qui me confortat* (Phil., IV, 13). Quum ergo bona desideria concipimus, animum erigamus, et Deo freti, ea exsequi conemur; quodsi postea, etiam in re spirituali, aliquod impedimentum oriatur, in divina voluntate acquiescamus. Cuilibet nostro bono desiderio Dei voluntas præferenda est. S. Maria Magdalena de Pazzis omnis perfectionis expers esse malebat, quam, Deo invito, eam habere.

12. Alterum perfectionis adjumentum est propositum se totum Deo tradendi. Multi ad perfectionem quidem vocantur, ad eam consequendam divinâ gratiâ impelluntur, ejusque desiderium concipiunt; sed quia propositum non ineunt, tepidæ et imperfectæ vitæ cœno immersi vivunt ac moriuntur. Non sufficit perfectionis desiderium, si firmum eam assequendi propositum non adjiciatur. Quam multi solis desideriis pascuntur, neque umquam in via Dei

procedunt! De quibus desideriis Sapiens: *Desideria*, inquit, *occidunt pigrum* (Prov., XXI, 25). Piger semper desiderat, numquam vero decernit media adhibere conditioni suæ propria ad sanctitatem consequendam. Utinam, exclamat, in eremo, non in hac domo habitarem! O si ad aliud monasterium migrare possem, totum me tradere vellem Deo! Atque interim ferre nequit illum socium, cuilibet obloquenti irascitur, multis inanibus curis distenditur, sexcentas committit gulæ, curiositatis et superbiæ culpas; nec tamen a vanis cessat suspiriis: *Utinam haberem, o si possem!* Talia desideria noxia potius sunt quam utilia; homo enim dum illis pascitur, imperfectam vitam agere non desinit. S. Franciscus Salesius: « Mihi », inquiebat, « non probatur is, qui alicui officio aut conditioni addictus, tempus terit expetendo aliud vitæ genus, muneri suscepto non consentaneum, vel optando exercitia, quæ a statu præsenti discrepant; sic enim fit, ut a rebus gerendis abducatur animus et in exercitiis necessariis langueat » [1].

[1] *Introduct.*, partie I, chap. 37.

13. Oportet ergo desiderare perfectionem et ea, quæ ad illam consequendam requiruntur, forti animo arripere. « Nihil aliud », inquit S. Teresia, « Deus a nobis postulat, nisi firmum propositum, cetera omnia ipse exsecuturus » [1]. « Fluctuantes animos non timet diabolus » [2]. Huc spectat oratio mentalis, ut ea arripiamus, quæ ad perfectionem nos perducant. Nonnulli multum temporis orationi mentali impendunt, sed in ea nihil unquam secum statuunt. Quare S. Teresia : « Potior mihi videtur », inquit, « brevis oratio, quæ plurimum efficit, oratione per plures annos protracta, in qua non inducitur anima, ut alicujus momenti opus Dei causâ aggrediatur » [3]. Et alio loco : « Experta ego scio, nihil metuendum esse ei, cui a principio statutum est, aliquid, quantumvis difficile, Deo placendi causâ suscipere ».

14. Primum esse debet propositum omni ope evitandi vel minimum peccatum deliberatum, et mortem potius subeundi quam ut illud committamus. Fatendum quidem est, nullum laborem nostrum sine Dei auxilio ad superandas

[1] *Liber Fundationum*, cap. 28. — [2] *Via Perfectionis*, cap. 24. — [3] *Vita*, cap. 30.

tentationes valere; vult tamen Deus, sæpius nos ultro talem contentionem adhibere, cui ipse suâ gratiâ supplicat, nostræque imbecillitati subveniens victoriam præbeat. Hoc propositum removet progressionis impedimentum, et animum mirifice sustentat, quia pignori nobis est, in statu gratiæ nos vivere. Maximum indicium, inquit S. Franciscus Salesius [1], quod hac in vita habere possumus, in gratia nos esse apud Deum, non consistit in sensibili amore, sed in pura et irrevocabili traditione suiipsius in divinas manus, et in firmo proposito nunquam alicui, nec graviori nec leviori peccato annuendi. Hoc significat delicatam habere conscientiam. Notetur, aliud esse delicatam, aliud scrupulosam conscientiam habere. Delicata esse debet conscientia, ut quis ad sanctitatem perveniat, sed scrupulosum esse, vitium est, et damnum affert; quapropter directori spirituali obedientiam præstare oportet et scrupulos vincere, quum vani nec rationi consentanei sint timores.

15. Deinde propositum iniri debet eligendi, sine ulla exceptione, id quod melius est, nec

[1] *Esprit*, partie XIII, chap. 9.

solum id quod Deo placet, sed etiam quod inter plura magis ei placet. S. Franciscus Salesius: « Incipiendum est », inquit, « a forti constantique proposito se totum Deo tradendi, affirmando, deinceps nos, nihil nobis reservantes, illius esse futuros; quod quidem propositum sæpius renovare oportet » [1]. S. Andreas Avellinus voto se obstrinxit quotidie in perfectione progrediendi. Si quis ad sanctitatem pervenire cupiat, non est necessarium, votum illud emittere; requiritur tamen, ut quotidie aliquam in perfectione progressionem facere conetur. S. Laurentius Justinianus: « Qui viam perfectionis ex animo ingressus est », inquit, « semper progrediendi desiderio ardet; et quanto magis in perfectione progreditur, tanto ejus desiderium accrescit: quum enim clarior in dies lux ei affulgeat, nulla virtute præditus esse nec quidquam boni peragere sibi videtur; si tamen bonum opus se fecisse videat, illud valde imperfectum et parvi momenti esse putabit. Quare summa contentione ad perfectionem semper tendit, neque umquam tendere desistit ».

[1] *Amour de Dieu*, livre XII, chap. 8.

16. Est autem illico manus operi admovenda, nec differendum in crastinum. Ecquis sciat, postea tempus operandi sibi esse futurum? Monet Ecclesiastes: *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare* (Eccl., IX, 10); i. e. fac cito, sine mora. Et rationem affert: *Quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas* (Ibid.): in altera vita non erit amplius tempus operandi, nec meriti ratio, nec sapientia ad recte agendum, nec scientia seu experientia ad moderandas actiones; post mortem omnia transacta erunt. In romano monasterio, quod *Torre de' Specchi* (Speculorum Turris) dicitur, sanctimonialis quædam, soror Bonaventura nomine, vitam agebat valde tepidam. Quum autem P. Lancicius spiritualia exercitia monialibus esset prædicaturus, soror Bonaventura, quæ de exeutiendo languore nihil cogitaret, ægro animo iis interesse cœpit. At ex prima concione divinæ gratiæ impulsu devicta, ad prædicatoris pedes illico se projiciens, haud dubia voluntate: « Pater mi », inquit, « sancta fieri volo, nullâ morâ interpositâ ». Quod et Deo adjuvante præstitit; namque exiguo octo circiter mensium

spatio quum sanctam vitam vixisset, sanctam mortem obiit.

17. David: *Et dixi*, inquit, *nunc cœpi* (Ps. LXXVI, 11). S. Carolus Borromæus quoque dictitabat: « Hodie Deo servire incipio ». Sic et nos faciamus, ac si hactenus nihil boni egissemus. Et revera, quidquid Dei causâ perficimus, prorsus nihil est; nam illud efficere tenemur. Quotidie ergo renovemus propositum, ut prorsus Dei esse incipiamus. Nec curemus, quid aut quomodo ceteri agant. Pauci sunt ii, qui ad sanctitatem revera perveniunt. *Perfectum*, inquit S. Bernardus, *non potest esse nisi singulare*. Si vulgus hominum imitari voluerimus, semper imperfecti erimus, ut illi vulgo sunt. Omnia vincamus, omnibus renuntiemus necesse est, ut omnia obtineamus. S. Teresia: « Quia nos », inquit, « non omnem affectum nostrum Deo tradimus, Deus non omnem amorem suum nobis tradit »[1]. Oh Deus, parum est, quidquid perficitur pro Jesu Christo, qui pro nobis sanguinem et vitam profudit. « Quæcunque facere possumus », inquit S. Teresia,

[1] *Vita*, cap. II.

« sordes sunt, si cum una sola sanguinis guttula, a Domino pro nobis effusa, comparentur »[1]. Sancti sibi parcere nesciunt, quando placere debent Deo, qui ideo se totum tradidit, ut nihil ei negaremus. *Totum tibi dedit*, inquit S. Chrysostomus, *nihil sibi reliquit*. Deus se totum tibi dedit; æquum non est, te aliquam partem tibimetipsi relinquere. *Pro omnibus mortuus est Christus*, inquit Apostolus, *ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est* (2 Cor., V, 15).

18. Tertium sanctitatis acquirendæ adjumentum est oratio mentalis. Eum, qui æternas veritates non meditetur, sine miraculo christianam vitam agere non posse, ait Joannes Gerson[2]. Deficiente enim oratione mentali, deficit lumen, et in tenebris incedit. Fidei veritates non corporis, sed meditantis animæ oculis conspiciuntur; qui non meditatur, eas non videt, et tenebris obductus, terrenis facile adhæreseit, nec curat æterna. Episcopo Uxamensi (*Osma*) S. Teresia scripsit: « Quamquam omnis macula immunes nobis videmur; quum tamen

[1] *Vita*, cap. 30. — [2] *De Meditat.*, cons. 7.

Deus mentis nostræ oculos aperit, ut in oratione facere solet, palam se produnt » [1]. Et de eo, qui non meditatur, S. Bernardus scripserat: *Seipsum non exhorret, quia nec sentit* [2]; i. e. quia seipsum non cognoscit. Oratio autem, inquit, *regit affectus, dirigit actus* [3] (ad Deum). Neglecta vero oratione, affectus adhærescunt terræ, ad affectus actiones conformantur, et sic inordinata sunt omnia.

19. Terribile est illud, quod in vita Ven. Sororis Mariæ Crucifixæ, Siculæ, relatum legimus (lib. II, cap. 8). Famula Dei, quum in oratione esset defixa, diabolum jactantem audivit, cuidam sanctimoniali se persuasisse, ut communem orationem omitteret; simulque vidit diabolum, post illam culpam commissam, ad grave peccatum eam allicere, nec multum abesse, quin illa misere consentiret. Quare illico advolans, admonitam lapsu prohibuit. S. Teresia: « Qui orationem omittit », inquit, « brevi aut pecus fiet aut diabolus ».

20. Qui ergo ab oratione discesserit, a Jesu Christi amore discedet. Oratio est beata illa

[1] Epist. 8. — [2] *De Consid.*, lib. I, cap. 2. — [3] Ibid., cap. 7.

fornax, in qua divinæ caritatis ignis succenditur et conservatur: *In meditatione mea exardescet ignis* (Ps. XXXVIII, 4). S. Catharina Bononiensis: « Qui orationem non frequentat », inquit, « vinculum abjicit, quo anima Deo adstringitur ». Quare difficile non erit diabolo, quum animam in divino amore frigentem cernat, eam perpellere, ut aliquo fructu mortifero vescatur. E contrario inquiebat S. Teresia: « Si quis in oratione perseveret, quotquot peccata diabolus opposuerit, dubium mihi non est, quin Deus ad portum salutis tandem aliquando eum perducturus sit » [1]. Et alio loco: « Qui in orationis via gradum non sistit, licet sero, aliquando tamen perveniet » [2]. Quare etiam affirmat, ideo diabolum tanta contentione laborare, ut animas ab oratione removeat, quia non ignorat, eas, quæ in oratione perseverent, sibi esse creptas. O quot bona ex oratione percipiuntur! In oratione suscipiuntur sanctæ cogitationes, pii affectus eliciuntur, magna concitantur desideria, firma proposita fiunt se totum Deo tradendi; et sic anima terrenas vo-

[1] *Vita*, cap. 8. — [2] Ibid., cap. 19.

luptates atque inordinatos appetitus Deo sacrificat. S. Aloisius Gonzaga: « Multa perfectio non erit », inquiebat, « sine multa oratione ». Quicumque perfectionem diligit, gravem illam S. Aloisii sententiam perpendat.

21. Nec tamen ad orationem accedi debet, ut divini amoris dulcedo sentiatur; qui hunc sibi proponit finem, aut tempus frustra conteret, aut exiguum percipiet fructum. Orationem ideo tantummodo facere debemus, ut Deo placeamus, id est, ut cognoscamus, quid Deus a nobis velit, ejusque imploremus auxilium ad illud exsequendum. « Sine ullo solatio crucem portare », inquit Ven. P. Antonius Torres, « est animis alas præbere, quibus ad perfectionem evolent ». Oratio sine sensibili consolatione omnium fructuosissima est. Heu miseram animam, quæ orationem relinquat, quod dulcedine in ea non fruatur! « Qui orationem relinquit », ait S. Teresia, « velut ultro, sine ulla diaboli opera, in infernum se projicit » [1].

22. Orationis exercitium efficit, ut de Deo semper cogitetur. S. Teresia: « Qui vere amat »,

[1] *Vita*, cap. 19.

inquit, « amati semper recordatur » [1]. Unde fit, ut qui orationi sint addicti, Deum semper in ore habeant; sciunt enim, quam gratum ei sit, amantes suos libenter de ipso et de ipsius amore loqui, atque ita conari, ut et ceteri eodem amore inflammentur. « Jesus Christus », inquit S. Teresia, « servorum Dei colloquiis semper adest, et libenter de ipso colloquentibus magnopere delectatur » [2].

23. Ex oratione quoque nascitur desiderium in deserta loca discedendi, ut sola solum Deum anima convenire possit; itemque desiderium in externis negotiis necessariis mentis recollectionem conservandi. Dico in *necessariis*, vel propter familiæ gubernationem vel propter officia a legitima auctoritate imposita. Qui enim orationi addictus est, solitudinem amare debet, nec rebus ultro susceptis et supervacaneis dissipari; secus amittet recollectionis spiritum, qui ad servandam intimam cum Deo conjunctionem magnopere valet. *Hortus conclusus, soror mea sponsa* (Cant., IV, 12). Anima, Jesu Christi sponsa, hortus esse debet omnibus crea-

[1] *Liber fundationum*, cap. 5. — [2] *Vita*, cap. 34.

turis clausus, neque alias cogitationes aliaque negotia admittat oportet, nisi quæ ad Deum pertineant vel Dei causa suscipiantur. In cor apertum non intrabit sanctimonia. Sancti, qui animis Deo lucrandis operam dant, etiam quum concionantur, confessiones excipiunt, pacis negotia tractant vel ægrotis assistunt, mentis recollectionem servant. Idem de iis dicatur, qui in studia incumbunt. Quam multi studiis avide vacantes, ut docti evadant, nec sancti nec docti fiunt; vera enim doctrina in scientia sanctorum consistit, i. e. in Jesum Christum amandi peritia; porro amor divinus scientiam et omnia bona secum affert: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa* (Sap., VII, 11), i. e. cum sancta caritate. Ven. Joannes Berchmans studia quidem valde amabat, sed pro suo virtutis amore numquam permisit, ut studium spirituali profectui impedimento esset. Apostolus: *Non plus sapere*, inquit, *quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (Rom., XII, 3). Scientia opus est, præsertim sacerdoti, quum legem divinam alios docere debeat: *Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus* (Mal., II, 7). Scientia ei opus est,

sed *ad sobrietatem*. Qui propter studium orationem omittit, ostendit, se in studiis non Deum sed semetipsum quærere. Qui Deum quærit, omittit studium, ne orationem omittat, quoties illud non est necessarium.

24. Præterea hoc omnium gravissimum est detrimentum, quod sine oratione mentali negligitur precatio. In Operibus spiritualibus sæpius disserui de precationis necessitate, et præsertim in opusculo, quod inscripsi: *de magno orationis medio*; item in hoc capite nonnulla de eodem argumento dicam. Hoc loco satis est attulisse hæc Ven. Palafox, Uxamensis Episcopi, verba: « Quomodo caritas durare possit, nisi Deus det perseverantiam? Quomodo Deus perseverantiam dabit, nisi eam petamus? Quomodo eam petemus sine oratione? Sine oratione non habetur communicatio cum Deo ad virtutes conservandas » [1]. Et re quidem vera; qui orationi mentali non vacat, parum cognoscit animæ necessitates, salutis suæ pericula et media ad tentationes superandas idonea;

[1] *Lettere di S. Teresa, tradotte dalla lingua spagnuola, con le annotazioni di Monsignor Giovanni di Palafox e Mendoza, vescovo di Osma.* Parte prima, lettera 8, nota 10.

atque ita parum intelligens precationis necessitatem, precari omittet, et sine dubio peribit.

25. Quod ad meditationis materiam attinet, nihil magis prodest quam meditari novissima, mortem, judicium, infernum et paradisum; et præsertim mortem ac cogitatione sibi fingere, moribundum se lecto esse affixum, manibusque tenentem Crucifixi effigiem, nec multum ab adeunda æternitate distare. Super omnia autem, ei qui Jesum Christum diligit et in sancto amore jugiter crescere cupit, non alia efficacior est cogitatio quam de passione Redemptoris. Calvariæ montem S. Franciscus Salesius *montem amantium*[1] vocat. Omnes Jesu Christi amantes in illo monte assidue commorantur, in quo non alium respirant nisi divini amoris aërem. Qui Deum intuetur, nostrâ causâ morientem, ac morientem quia nos amat: *Dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis* (Ephes., V, 2); fieri non potest, ut ingenti in eum amore non exardescat. Ex Jesu Christi vulneribus tales semper exeunt amoris sagittæ, quibus etiam

[1] *Traité de l'amour de Dieu,* livre XII, chap. 13.

saxea corda saucientur. O felicem, qui in monte Calvariæ assidue versetur! O beatum, o amabilem, o dilectum montem! Te quis umquam relinquet! O montem ignes eructantem, easque inflammantem animas, quæ in te constanter subsistunt!

26. Quartum perfectionis atque etiam perseverantiæ in divina gratia adjumentum est sanctæ Communionis frequentia, de qua in Cap. II agentes diximus, animam nihil gratius Jesu Christo facere posse quam in Sacramento Altaris sæpe eum recipere. Sancta Teresia: « Frequenti Communione », inquit, « validius non existit perfectionis adjumentum: ipse Dominus mirabilem perficiendæ animæ dat operam ». Et adjunxit, fieri solere, ut qui sæpius ad Communionem accedant, majores quoque in perfectione progressus faciant; atque in iis monasteriis, in quibus Communio magis frequentetur, majorem vigere vitæ religiosæ spiritum. Eamque ob causam Sancti Patres, ut in Decreto Innocentii PP. XI, anno 1679 edito, legitur, frequentem atque etiam quotidianam Communionem tantopere laudarunt et commendarunt. Communio, ut ait Tridentina

Synodus [1], a culpis quotidianis nos liberat et a mortalibus præservat. S. Bernardus: « Communio », inquit, « reprimit iracundiæ et incontinentiæ impetus » [2]; quæ duæ animi cupiditates sæpius et vehementius quam ceteræ nos invadunt. Et S. Thomas: Communio, inquit, *omnem dæmonum impugnationem repellit* [3]. Ac tandem S. Joannes Chrysostomus, Communionem magnam ad virtutem inclinationem nobis infundere ait, animumque ad eam exercendam promptum reddere, ac simul summam pacem nobis impertire, ut ita perfectionis via plana et jucunda nobis fiat. Præsertim nullum aliud Sacramentum animas divino amore adeo inflammat quantum Eucharistia, in qua Jesus Christus ideo se totum nobis donat, ut per sanctum amorem nos totos secum conjungat. Quare Ven. P. Joannes ab Avila: « Qui animas », inquit, « a frequenti communione avertit, diaboli officio fungitur ». Et re quidem vera; diabolus valde odit hoc Sacramentum, ex quo ad progrediendum in divino amore animæ magnas vires hauriunt.

[1] Sess. XIII, cap. 2. — [2] *Sermo in Cœna Domini*, n. 3 (*b*). — [3] III, qu. 79, art. 6.

27. Ut autem Communio bene fiat, congrua præparatio requiritur. Prima seu remota præparatio ad Communionem quotidie vel sæpius in hebdomade faciendam hæc est, ut quis 1. se abstineat omni culpa deliberata, apertis oculis commissa; 2. orationem mentalem multam adhibeat; 3. sensus et passiones mortificet. S. Franciscus Salesius [1] docet, eum quotidie ad Communionem accedere posse, qui pravas cupiditates maxima ex parte superaverit, perveneritque ad notabilem perfectionis gradum. S. Thomas [2] docet, quotidianam sibi Communionem sumere posse eum, qui experiatur, divini amoris fervorem ex ea sibi augeri. Unde Innocentius XI in citato Decreto ait, majorem vel minorem Communionis frequentiam constitui debere a confessario, qui hac in re se dirigat juxta fructum, quem animas, suæ curæ commissas, percipere videt. Proxima ad Communionem præparatio est ea, quæ matutino tempore ipsa Communionis die perficitur, et orationem mentalem dimidiæ saltem horæ exposcit (*d*).

[1] *Introduct.*, partie II, chap. 20. — [2] *In sent.*, lib. IV, dist. 12, qu. 3, art. 1, ad secundam quæst. (*c*).

28. Præterea ut multum fructuosa sit Communio, gratiarum actioni diu immorari necesse est. Temporis spatium, quod Communionem subsequitur, P. Joannes ab Avila « tempus lucrandi gratiarum thesauros » vocabat. S. Maria Magdalena de Pazzis nullum aliud ajebat existere tempus magis idoneum ad animas divino amore inflammandas. Et S. Teresia : « Post Communionem », inquit, « ne amittamus adeo opportunam occasionem cum Deo negotiandi. Divina Majestas, si bene excipiatur, hospitium parce rependere non solet » [1].

29. Nonnullæ animæ pusillanimes confessario ad Communionem sæpius recipiendam exhortanti respondent : *At ego digna non sum.* Sed num ignoras, te, quo magis a Communione recesseris, eo indigniorem esse futuram? Nam sine Communione vires tibi minuentur et culparum numerus augebitur. Conscientiæ directori obedientiam præsta atque ejus consilium sequere : culpæ Communionem non impediunt, quum plene voluntariæ non sunt ; maxima autem culparum tuarum est, directori non obedire.

[1] *Via perfectionis*, cap. 35.

30. *Sed olim nequiter vixi.* Tu vero num ignoras, ægerrimum quemque medico et medicina maxime indigere? Jesus in Sacramento et medicus est et medicina. S. Ambrosius: *Qui semper pecco*, inquit, *semper debeo habere medicinam* [1]. Dices: *A confessario non admoneor, ut ad Communionem sæpius accedam.* Si ille non admonet, tu roga, ut illud tibi concedat. Si negaverit, obtempera; prius tamen licentiam pete. — *Superbia videtur.* Superbia esset, si illo invito ad Communionem accedere velles; minime vero, humiliter illud petere. Cælestis ille panis fame debet appeti. Jesus se desiderari cupit: *Sitit sitiri*, inquit S. Gregorius Nazianzenus [2]. Ceterum, anima secum reputans: « hodie Communionem recepi », vel: « cras Communionem recipiam », oh quam diligenter curabit, ut culpas devitet et divinam voluntatem exsequatur! — *At nullum in me habeo fervorem.* Verum sensibilis fervor nec necessarius est nec semper a Deo conceditur vel iis animis, quas maxime diligit; satis est fervor voluntatis, quæ tota Dei esse vult et in divino

[1] *De Sacram.*, lib. IV, cap. 6. — [2] *Tetrastichæ* (i. e. quatuor versibus constantes) *sententiæ*. Vers. 147 (sent. 37).

amore progredi statuit. Communione ideo abstinere, quia non eam sentias, quam sentire velles, devotionem, idem est, inquit Joannes Gerson, atque ideo ab igne recedere, quod frigore labores [1].

31. Sed eheu! multi sunt, qui Communionem non postulant, ne onus suscipiant vivendi cum majori animi recollectione et a rebus terrenis magis avulsi; neque alia est causa, cur Communione sæpius refici non cupiant. Minime ignorant, cum frequentiori Communione non congruere prodeundi desiderium, vanum corporis ornatum, obfirmatum gulæ, commoditatum, nimiæ animi relaxationis amorem. Probe norunt, plus orationis, internæ et externæ mortificationis, majorem solitudinis amorem tunc requiri: eamque ob causam ad sacram mensam sæpius accedere erubescunt. Dubium non est, quin ita affectos, tepori misere immersos, frequenti Communione abstinere deceat; sed teporem illum excutere omnino debet, qui ad perfectiorem vitam vocatus, æternam suam salutem in magnum periculum adducere non velit.

[1] *Collectorium super Magnificat*, tract. 9, partitio 3.

32. Valde etiam prodest ad conservandum animi fervorem sæpe facere Communionem spiritualem, quam Tridentini Patres tantopere laudarunt et cujus exercitium commendarunt omnibus fidelibus [1]. Communio spiritualis, ut ait S. Thomas [2], consistit in fervido desiderio Jesum Christum in Sacramento sumendi; quapropter Sancti sæpius in die eam facere solebant. Hoc modo fieri potest: *Te, mi Jesu, in SS. Sacramento præsentem credo. Te amo atque desidero; ad animam meam veni. Te amplector, teque precor, ne umquam a te me separari permittas.* Brevius: *Ad me veni, o Jesu, te desidero; te amplector, semper conjuncti maneamus.* Quæ spiritualis Communio sæpius in die perfici potest, quum orationi vacamus, SS. Sacramentum invisimus, et præsertim quum Missæ Sacrificio assistimus et sacerdos Communionem sibi sumit. B. Angela a Cruce, Ord. S. Dominici: « Nisi confessarius », inquiebat, « me docuisset hunc pluries in die communicandi modum, vivere non potuissem ».

33. Quintum et omnium maxime necessarium vitæ spiritualis et Jesu Christi amoris

[1] Sess. XIII, cap. 8. — [2] III, qu. 79, art. 1.

consequendi adjumentum est precatio. Primum equidem dico, Deum hoc adjumento magnum suum erga nos amorem patefacere. Ecquis majus amico suo benevolentiæ testimonium dare potest, quam quum ei dicat: *Amice, quidquid volueris, a me pete; nihil abnuam?* Illud autem Dominus nobis dicit: *Petite, et dabitur vobis; quærite, et invenietis* (Luc., XI, 9). Unde precatio omnipotens apud Deum dicitur ad impetrandum omne bonum: *Oratio*, inquit Theodoretus, *quum sit una, omnia potest* [1]. Qui precatur, quidquid vult, a Deo obtinet. Præclare David: *Benedictus Deus*, inquit, *qui non amovit orationem meam et misericordiam suam a me* (Ps. LXV, 20). Quæ verba explicans S. Augustinus: *Quum videris*, inquit, *non a te amotam deprecationem tuam* (i. e. in te non deesse precationem), *securus esto, quod non est a te amota misericordia ejus* [2] (i. e. divinam misericordiam tibi non esse defuturam). Et S. Joannes Chrysostomus adjungit: *Semper obtinetur, etiam dum adhuc oramus.* Precantibus nobis, necdum absoluta precatione nostra, Deus petitam gratiam

[1] Apud Rodriguez: *Exercitium perfectionis*, pars I, tract. 5, cap. 14 (Sap., VII, 27). — [2] In Ps. LXV, n. 24.

largitur. Si ergo inopiâ premimur, nostram tantum incuriam lamentemur; nam pauperes sumus, quod pauperes esse volumus, neque igitur commiserationem meremur. Qua commiseratione dignus esset mendicus, si ditissimum quemdam nactus, qui cuncta daret, dummodo ille peteret, in egestate permanere mallet, ne preces adhiberet? En, inquit Apostolus, paratus est Deus ad divitias omnibus invocantibus largiendas: *Dives in omnes qui invocant illum* (Rom., X, 12).

34. Humilis igitur precatio omnia a Deo obtinet; simul autem scire oportet, eam non solum utilem nobis esse, sed etiam necessariam ad salutem consequendam. Certum est, ad superandas hostium tentationes, omnino nos indigere divini auxilii; et nonnumquam, quum vehementiores sunt impetus, gratia sufficiens, quam Deus omnibus concedit, ad resistendum sufficere posset, sed pro mala nostra inclinatione non sufficiet, et necessaria erit specialis gratia. Qui precatur, eam obtinet; qui non precatur, eam non obtinet, et perit. Et speciatim quod ad finalem perseverantiam attinet, qua quis in Dei gratia moritur et quæ ad salutem ita omnino necessaria est, ut sine ea in æter-

num pereamus, S. Augustinus [1] docet, eam nisi precanti a Deo non donari. Et hæc est ratio, cur tam pauci salventur; quia pauci curant, ut perseverantiæ gratiam a Deo postulent.

35. In summa, SS. Patres affirmant, precationem nobis necessariam esse non solum necessitate præcepti (quare docent theologi, eum qui per mensem negligat salutem suam æternam Deo commendare, non esse peccati mortalis immunem), sed etiam necessitate medii, i. e. fieri non posse, ut qui non precetur, ad salutem perveniat. Cujus rei ratio hæc tandem est, quia salutem obtinere non possumus sine divinarum gratiarum auxilio, quas gratias Deus nisi precanti non concedit. Quum autem tentationes et pericula Deum graviter offendendi sint assidua, assiduæ quoque precationes nostræ esse debent. Quare S. Thomas: *Necessaria est homini*, inquit, *jugis oratio, ad hoc quod cœlum introeat* [2]. Quod idem his verbis docuerat Jesus Christus: *Oportet semper orare, et non deficere* (Luc., XVIII, 1). Et Apostolus: *Sine intermissione orate* (1 Thess.,

[1] *De dono Perseverantiæ*, cap. 16. — [2] III, qu. 39, art. 5.

V, 17). Eo temporis intervallo, quo Deo nos commendare intermiserimus, diabolus nos profligabit. Gratiam perseverantiæ, quamvis eam mereri non possimus, ut docet Concilium Tridentinum [1], precibus tamen aliquo modo nos mereri posse affirmat S. Augustinus: *Hoc Dei donum suppliciter emereri potest* [2], i. e. supplicando impetrari. Dominus ad elargiendas suas gratias paratus est; sed, ut ait S. Gregorius, *vult rogari;* immo *vult cogi, vult quadam importunitate vinci* [3]. Et S. Maria Magdalena de Pazzis affirmabat, Deum nobis precantibus non solum annuere, sed quodammodo etiam gratias agere. Atque ita est; quum enim sit bonitas infinita, sui in alios diffundendi cupida, infinito desiderio ardet (ut ita dicam) bona sua nobis elargiendi; atvero precibus adiri vult; quapropter precibus nostris tantopere delectatur, ut nobis precantibus quodammodo gratias agat.

36. Si ergo usque ad mortem in Dei gratia semper remanere cupimus, semper ut mendicos nos gerere, et preces assidue in orĕ habentes,

[1] Sess. VI, cap. 13. — [2] *De dono Perseverantiæ*, cap. 6. — [3] *In Ps. VI pœnitentialem*, n. 2 (Ps. CXXIX, vers. 1).

sine intermissione repetere debemus: *Jesu mi, miserere mei; ne permittas me separari a te; adesto mihi, Domine; adjuva me, Deus.* Sic continuo orabant antiqui Patres anachoretæ: *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina* (Ps. LXIX, 2): adjuva me, Domine, nec tardaveris; si enim mihi succurrere distuleris, corruam et peribo. Quod præsertim tunc faciendum est, quum tentationes irruunt; qui illud facere omittit, periit.

37. Magnam in oratione fiduciam reponamus. Promisit Deus, orantium preces se exauditurum: *Petite, et accipietis* (Joan., XVI, 24). Quid dubitamus, inquit S. Augustinus? Dominus promisso se obstrinxit, nec potest gratias, quas petimus, non concedere: *Promittendo debitorem se fecit* [1]. Ad Deum recurrentes certam fiduciam habeamus, nos ab eo exaudiri, et consequemur quidquid volumus. En quid Jesus Christus dicat: *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis* (Marc., XI, 24).

38. *At*, dices, *ego peccator sum, et indignus qui exaudiar.* Sed Jesus Christus dicit: *Omnis*

[1] Sermo 110 (*de verbis Domini*, 31), n. 4 (*e*).

qui petit, accipit (Luc., XI, 10). Docet S. Thomas, orationem ad obtinendas gratias non valere propter nostra merita, sed propter misericordiam Dei, qui promisit, precantes se exauditurum: *Oratio in impetrando non innititur merito, sed divinæ misericordiæ* [1]. Et ut precantibus nobis omnem auferret timorem, Redemptor noster affirmavit: *Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (Joan., XVI, 23). Ac si diceret: Peccatores, merita ad obtinendas gratias vobis desunt; sic ergo facite: gratias a Patre meo in meo nomine, id est, per mea merita et ex amore mei efflagitate, et quidquid petieritis, dabitur vobis. Sedulo tamen perpendenda sunt verba: *in nomine meo*, i. e., ut explicat S. Thomas, *in nomine Salvatoris*; gratias nempe, quas petimus, ad salutem æternam spectare debere; quapropter promissio gratias temporales non respicit; has, si æternæ saluti prosint, Dominus concedit; si non prosint, denegat. Ac proinde gratiæ temporales semper petendæ sunt cum conditione, si animæ prosint. Quum vero agatur de gratiis spiritua-

[1] 2. 2., qu. 178, art. 2.

libus, non est locus conditioni sed fiduciæ eique certæ, qua prædíti dicamus: *Pater æterne, in Jesu Christi nomine, hac tentatione me libera, da mihi sanctam perseverantiam, da mihi tuum amorem, da mihi paradisum.* Quas quidem gratias etiam a Jesu Christo in ejus nomine, i. e. per ejus merita, petere possumus; nam et illud ipse nobis promisit: *Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam* (Joan., XIV, 14). Et Deum orantes meminerimus, gratiarum dispensatrici, Mariæ etiam nos commendare. Deus, inquit S. Bernardus, gratias concedit; sed eas concedit per manus Mariæ: *Quæramus gratiam, et per Mariam quæramus; quia, quod quærit, invenit, et frustrari non potest* [1]. Si Maria quoque pro nobis deprecatur, securi sumus; namque ejus preces omnes audiuntur neque umquam repulsam ferunt.

Pii affectus et preces.

O Jesu, amor mi, statutum mihi est te, quantum possum, diligere; ad sanctitatem pervenire volo, nec aliam ob causam, nisi ut tibi

[1] *De Aquæductu.*

complaceam teque multum diligam in hac et in altera vita. Equidem nihil possum, tu vero omnia potes, et me sanctum fieri vis. Jam video, animam meam tuâ excitatam gratiâ, ad te suspirare, nec quidquam præter te quærere. Mihi vivere jam nolo; totum me tuum esse cupis, totus tuus esse volo. Veni, et me tibi teque mihi conjunge. Infinita bonitas tu es, tantopere me amasti; nimis ergo amans, nimis amabilis es, quam ut præter te quidquam diligam. Amorem tuum cunctis hujus mundi rebus præfero; ad te solum spectant, in te solum collineant omnes animi mei affectus. Omnia relinquo, ut te solum diligam, qui creator, redemptor, consolator, spes, amor et omnia mihi es. Nec propter injurias olim tibi illatas ad sanctitatem me perventurum diffido; scio, te, mi Jesu, mortuum esse, ut ei, quem peccasse pœnitet, ignoscas. Nunc ex tota anima, ex toto corde te diligo, te plus quam meipsum diligo, et quod te despexi, summum bonum, præ ceteris malis doleo. Non jam meus, sed tuus sum, o Deus, cordis mei; fac de me quidquid volueris. Ut tibi complaceam, omnes ærumnas suscipio, quibus me affici volueris,

morbos, dolores, angores, ignominias, paupertatem, persecutiones, desolationes; omnia suscipio, ut gratum tibi faciam. Item suscipio eam mortem, quam tu mihi subeundam destinaveris, cum omnibus ejus anxietatibus et molestiis; sufficit, ut gratiam mihi dones te multum diligendi. Adjuva me, viresque mihi præsta, ut posthac amore meo compensem injurias, quibus te affeci, o unice amor animæ meæ. O cælorum regina, o mater Dei, o magna peccatorum advocata, tibi confido.

NOTÆ.

(*a*) Pag. 117: Falso ei adscribitur. Immo quum olim in Augustini manus venisset sine auctoris nomine, rescripsit ad Demetriadis matrem Julianam, scire cupiens, unde profectum esset istud opusculum, in quo pelagianum errorem tradi animadverteret. Postea indicavit, ejus auctorem esse ipsum Pelagium. Confer quæ S. Alphonsus in Historia Hæresum de illa epistola habet (Opera Dogmatica, editio latina, tom. II, pag. 80-81).

(*b*) Pag. 136: « Si quis vestrum non tam sæpe modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, in-

vidiæ, luxuriæ, aut ceterorum hujusmodi, gratias agat corpori et sanguini Domini, quoniam virtus sacramenti operatur in eo ; et gaudeat quod pessimum ulcus accedat ad sanitatem ».

(*c*) Pag. 137: « Si aliquis experimentaliter cognosceret ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri et reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare ».

(*d*) Pag. 137: Quænam conditiones ad frequentem et quotidianam Communionem requirantur, Sacra Congregatio Concilii paucis indicavit in Decreto 20 Dec. 1905, *Sacra Tridentina*, ad quod Decretum lectorem remittimus.

(*e*) Pag. 146: Verba sunt S. Augustini ; non tamen ea adhibet, quum de oratione, sed quum de futuro judicio loquitur: « Dies judicii nondum est ; sed quia prædictus est, implebitur. An fieri potest, ut qui in tantis verax apparuit, de die judicii mendax sit? Promissorum suorum nobis chirographum fecit. Non debendo enim, sed promittendo debitorem se Deus fecit ».

CAPUT IX.

Caritas non inflatur.

Jesu Christi amantem dotibus suis non efferri, sed demisse sentire, et lætari, ab aliis quoque se deprimi.

1. Qui superbia est elatus, ventoso folli comparari potest. Quum enim magnus sibi videatur, pauxillum venti est ejus amplitudo, quæ perforato folle, protinus evanescit. Qui Deum diligit, vere humilis est, nec propter aliquam suam præstantiam inflatur; intelligit enim, a Deo sibi esse donatum, quidquid habet; a se autem aliud non habere nisi nihilum atque peccatum; unde videns, quot beneficia a Deo acceperit, magis se humiliat, quod sibi, tam indigno, Deus tam multa largitus sit.

2. S. Teresia, singulares gratias, quas Deus sibi tribueret, commemorans: « Deus », inquit, « mecum agit sicut fieri solet, ædificio vacillante: fulcris sustinetur ». Quum anima, Deo benigne eam visitante, solito majorem in se

percipit divini amoris ardorem, quo vel lacrimæ oboriantur vel cor tenerrimo abundet affectu, caveat, ne præmium a Deo sibi dari existimet ob aliquam bonam actionem; sed etiam magis se humiliet, sibique persuadeat, ideo Deum sibi blandiri, ne ab ipso deficiat; si enim propter illa munera aliquantulum intumescat, sibique reputet, idcirco Deum sibi gratificari, quia ceteris melius erga eum se gerat, in culpæ suæ pœnam divinis beneficiis privabitur. Ad tuendam domum duo præsertim necessaria sunt, fundamentum et tectum: nobis autem fundamentum esse debet humilitas, qua ad nihil nos valere, nihilque efficere posse agnoscimus; tectum deinde est divinum præsidium, in quo solo fiduciam collocare debemus.

3. Quando Deum speciali modo nobis favere cernimus, magis tunc nosmetipsos humiliare debemus. S. Teresia, quoties singularem aliquam gratiam accipiebat, omnes culpas a se commissas sibi ponebat ante oculos, eamque ob causam Dominus eam arctius conjungebat secum. Quo magis indignam gratiis se confitetur anima, eo magis Dominus gratiis eam exornat. Thais, postquam ex peccatrice sancta

evaserat, coram Deo tantopere se humiliabat, ut etiam indignam se reputaret, quæ ejus nomen proferret; quapropter dicere non ausa: *mi Deus*, his utebatur verbis: *Qui plasmasti me, miserere mei* [1]. Scribit autem S. Hieronymus (*a*), eam ob illam humilitatem vidisse, præclarum sibi in cælis præparari thronum. Similiter S. Margarita Cortonensis (ut in ejus vita legitur), quum aliquando Dominus amantissime eam visitaret: « Quid vero, Domine », exclamabat: « Num oblitus es, quæ fuerim ego? Qui fit, ut blanditiis tantis rependas tantas, quas tibi intuli, injurias? » Cui tum Dominus, oblivisci se omnes illatas injurias, respondit, quum anima ipsum diligat suisque culpis vere doleat; ut per Ezechielem dixit: *Si autem impius egerit pœnitentiam..., omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor* (Ezech., XVIII, 21-22). Quod ut comprobaret, egregium ei monstravit solium, in cælo in mediis Seraphim ei paratum. O si intelligeremus, quanti sit humilitas! Pluris est unus humilitatis actus, quam omnium hujus mundi divitiarum adeptio.

[1] *Vitæ Patrum*, lib. I.

4. « Noli putare », inquit S. Teresia, « te aliquem in perfectione fecisse progressum, si omnium pessimum te non existimes, nec cupias omnibus posthaberi ». Atque ita faciebat S. Teresia, et similiter omnes Sancti fecerunt. S. Franciscus Assisiensis, S. Maria Magdalena de Pazzis et ceteri omnes pro maximis omnium peccatoribus se habuerunt; mirabantur, quomodo terra ipsos sustineret nec deglutiret vivos; atque illud sincere profitebantur. Ven. Joannes ab Avila, qui a puero sancte vixerat, quum morti proximus esset, et sacerdos assistens sublimia loqui, eumque ut egregium Dei servum eximieque doctum (id quod revera erat) tractare cœpisset: « Animæ commendationem », inquit, « perage quæso, pater, sicut fieri solet malefico capitis damnato; nam talis ego sum ». En quid Sancti in vita et in morte de se existiment.

5. Ita nos quoque facere oportet, si ad salutem pervenire et in gratia Dei usque ad mortem perstare cupimus: tota fiducia in Deo solo collocanda est. Superbi, quod viribus suis confidunt, corruunt; humiles, soli Deo confisi, licet gravissimis premantur tentationibus, fortes su-

stinent, neque succumbunt. *Omnia possum*, exclamant, *in eo qui me confortat* (Phil., IV, 13). Diabolus modo ad arrogantiam, modo ad diffidentiam nos impellit; quum nobis suggerit, nullum nobis esse cadendi periculum, tunc magis contremiscamus; si enim Deus uno temporis momento gratiam suam retrahat, actum est de nobis. Quum vero ad diffidentiam nos impellit, ad Deum conversi magna cum fiducia dicamus: *In te Domine speravi, non confundar in æternum* (Ps. XXX, 2). Spem meam Deus, in te collocavi; numquam frangar, ut spero, nec gratiâ tuâ excidam. Tales actus, quibus diffidimus nobis et in Deo omnem fiduciam reponimus, usque ad extremum vitæ spiritum elicere debemus, Dominum semper precantes, ut sanctam humilitatem nobis donare velit.

6. Nec tamen, ut vere humiles simus, satis est, demisse de nobis sentire et ex animo pro miseris nos habere; qui vere humilis est, inquit Thomas a Kempis [1], et seipsum despicit et ab aliis etiam despici cupit. Atque illud

[1] *Imit. Christi*, lib. III, cap. 7.

est, quod Jesus Christus ad suum exemplum nobis exercitandum commendavit: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (Matth., XI, 29). Si quis omnium scelestissimum se profitetur, irascitur vero iis, a quibus despicitur, ostendit, ore, non corde, se esse humilem. Pro certo habeatur, inquit S. Thomas Aquinas, eum qui se contemni ægre ferat, etiamsi miracula faceret, a perfectione multum abesse. S. Ignatius de Loyola, a divina Matre ad S. Mariam Magdalenam de Pazzis missus, ut humilitatem eam doceret, hoc ei præceptum dedit: *Humilitas est gaudium de iis omnibus, quæ ad despectum nos inducunt.* Notetur verbum: *gaudium.* Si reclamitet sensus, spiritu saltem gaudendum est, quod depectui habemur.

7. Et quæ tandem anima, Jesu Christi amans, Deum suum colaphos et sputa in facie tolerantem cernens *(tunc exspuerunt in faciem ejus, et colaphis eum ceciderunt; alii autem palmas in faciem ejus dederunt)* (Matth., XXVI, 67), contemptiones non diligat? Idcirco Redemptor voluit, effigiem, quæ in altaribus exponeretur, non gloriose regnantem sed cruci affixum semet exprimere, ut nos ejus contem-

ptus semper ante oculos haberemus. Christi enim contemptiones intuentes, gaudent Sancti, quod ab aliis parvipendantur. Neque aliud S. Joannes a Cruce Jesum Christum rogavit, quum cruce onustus sibi appareret: *Domine, pati et contemni pro te.* Te, Domine, amore mei tantopere contemptum cernens, non aliud rogo, nisi ut me quoque amore tui pati et contemni sinas.

8. S. Franciscus Salesius: « Injuriarum tolerantia », inquit, « humilitatis et genuinæ virtutis est probatio »[1]. Si quis pietatem præ se fert, orationi operam dat, ad Communionem sæpe accedit, jejunat et mortificationem exercet; injuriam vero vel acerbiora verba tolerare non potest, clare indicat, vacuam se esse arundinem, sine humilitate et sine virtute. Ad quid valet anima, Jesu Christi amans, si perpeti non valet contemptionem ex amore Jesu Christi, qui pro ea tot contemptiones perpessus est? In aureo libello de Imitatione Christi Thomas a Kempis: *Quia despici metuis*, inquit, ... *constat utique, quod nec verus humilis*

[1] *Esprit*, partie X, chap. 10 (*b*).

sis, nec vere mundo mortuus, nec mundus tibi crucifixus. Qui ... Deum præ oculis non habet, faciliter verbo movetur vituperationis [1]. Alapas aut vulnera pro Deum perferre non potes; aliquod saltem verbulum fac perferas.

9. Oh quantæ admirationi quantoque scandalo est, qui ad Communionem quidem frequenter accedit, sed ad omnem offensiunculam irascitur! Quam præclarum contrà virtutis exemplum præbet is, qui injuria læsus vel blande respondet, ut offendentem mitiget, vel nihil respondet, neque apud alios lamentatur, sed serena fronte nullam animi ostendit ægritudinem! *Mansuetus*, inquit S. Joannes Chrysostomus, *utilis sibi et* (propter bonum exemplum) *aliis* [2]. Thomas a Kempis plures recenset casus, in quibus humilitatem exercere debemus: *Quod alii dicunt, audietur*, inquit; *quod tu dicis, pro nihilo computabitur. Petent alii, et accipient; tu petes, nec impetrabis. Erunt alii magni in ore hominum, de te autem tacebitur. Aliis hoc vel illud committetur, tu autem ad nihil utile judicaberis. In his et similibus*

[1] Lib. III, cap. 46. — [2] *In Act.*, hom. 8.

multis probari solet fidelis Domini servus, qualiter se abnegare et in omnibus frangere quiverit. Propter hoc natura quandoque contristabitur; sed magnum (i. e. multum proficies), *si silens portaveris* [1].

10. Dicebat S. Joanna de Chantal: « Qui vere humilis est, quum deprimitur, etiam magis se submittit ». Ita est; vere humiles enim pro meritis suis numquam satis se humiliari credunt. Qui sic agunt, a Jesu Christo beati dicuntur; non dicuntur beati, qui ab hominibus magni habentur, honorantur et apud eos nobilitatis, doctrinæ vel potentiæ laude florent; sed ii, quibus mundus maledicit, quos persequitur et carpit; eos enim, si cuncta patienter sustineant, magna in cælis remuneratio manet: *Beati estis, quum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me; gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis* (Matth., V, 11-12).

11. Humilitas præsertim exercitanda est, quum a præpositis vel ab aliis aliquam ob cul-

[1] Lib. III, cap. 49.

pam reprehendimur. Nonnulli herinaceos imitantur; donec nemo eos attingit, placidi omnino et mansueti videntur; tacti vero vel a præposito vel ab amico, qui de aliqua re minus recte facta admonet, aculeos statim erigunt, et exasperati respondent, mera mendacia narrari, vel etiam jure se ita egisse neque ullum reprehensioni esse locum. In summa, qui eos vituperant, inimici fiunt. Qua in re eos imitantur, qui chirurgo succensent, quod vulnus tractando, dolorem afferat: *Medicanti irascitur* [1], inquit S. Bernardus. Qui vere sanctus et humilis est, inquit S. Joannes Chrysostomus, correctione sibi facta, ingemiscit propter culpam commissam; qui vero superbus est, quum corripitur, item ingemiscit, sed quia culpam suam detectam videt; quam ob causam mente turbatur, respondet et admonenti irascitur. Hanc eximiam agendi normam S. Philippus Nerius ei, qui arguitur, proponebat: « Qui vere sanctus fieri cupit, excusatione numquam utatur, etiamsi falsa sit accusatio ». Qua in re unus excipiendus casus est, quum defensio

[1] *In Cantic.* sermo 42.

necessaria esse videtur ad tollendum scandalum. Oh quot et quanta merita apud Deum sibi comparat is, qui licet injuste correptus, tacet neque ullam affert excusationem! « Magis proficit anima », inquit S. Teresia, « et plus in perfectione progreditur, quum semel excusatione abstinet, quam quum decies concioni assistit » [1]. Namque excusationem omittens, incipit libertatem spiritûs acquirere, et nihil curare, bene an male de se dicatur.

Pii affectus et preces.

Te, o Verbum incarnatum, precor per merita sanctæ tuæ humilitatis, qua tot ignominias et injurias amore nostri sustinere voluisti, superbiam mihi eripe, tuæque humilitatis fac me participem. Et quomodo possim ego opprobrio illato dolere, præsertim postquam inferni poenas toties promerui? Ah mi Jesu, per merita tot contemptuum, quos in passione tua subiisti, gratiam mihi concede, ut his in terris humiliatus vivam et moriar, sicut tu

[1] *Via perfectionis*, cap. 16.

meâ causâ humiliatus vixisti et mortuus es. Amore tui despectus et ab omnibus derelictus esse vellem; sed sine te nihil possum. Te amo, summum bonum, te amo, dilecte animæ meæ; te amo, tibique confisus, futurum spero et mecum statuo, ut omnia pro te sustineam injurias, proditiones, persecutiones, dolores, ariditates, relictiones; hoc mihi satis est, a te, unico animæ meæ amore, non derelinqui. Ne umquam permittas a te me discedere. Fac ut tibi complacere cupiam. Fac ut ardenter te diligam. Fac ut æquo animo patiar. In adversis fac ut tibi acquiescam. Miserere mei. Nullo equidem commendor merito, sed omnia a te spero, qui sanguine tuo me emisti. A te quoque omnia spero, o regina et mater mea Maria, quæ es refugium peccatorum.

NOTÆ.

(*a*) Pag. 154: Olim *Vitæ Patrum* omnes et singulæ S. Hieronymo tribuebantur. Quis autem vitam Sanctæ Thaidis scripserit, incertum est. Porro de eximia in cælis ei parata gloria, en quid ibi (cap. III) referatur (cfr. Migne, *Patrol. lat.*, tom. 73, col. 662): « Quum ergo tribus annis ita fuisset inclusa, condoluit abbas Paphnutius, et mox profectus est ad abbatem Antonium, ut ab eo requireret, si peccata ejus remisisset ei Dominus, an non. Quum ergo pervenisset, et tantam illi causam subtiliter narrasset, convocatis discipulis suis abbas Antonius, præcepit ut illa nocte omnes vigilarent, et in oratione singillatim persisterent, quatenus alicui ex eis declararet Deus causam pro qua abbas Paphnutius venerat. Itaque quum singuli secessissent, et incessanter orarent, abbas Paulus, major discipulus sancti Antonii, vidit subito in cælo lectum pretiosis vestibus adornatum, quem tres virgines, clara facie fulgentes, custodiebant. Quum ergo ipse Paulus diceret: Non est largitio hæc alterius nisi Patris mei Antonii; vox ad eum facta est: Non est Patris tui Antonii, sed Thaisis [1] meretricis est. Quod quum manifeste abbas Paulus retulisset, cognita Dei voluntate abbas Paphnutius discessit,

[1] Ejus nomen ab aliis scribitur: *Thais (Thaidis)*, ab aliis, etiam in nominativo: *Thaisis*.

et reversus ad monasterium in quo fuerat inclusa, ostium, quod obstruxerat, dissipavit; illa vero, ut adhuc ita remaneret inclusa, postulabat; quum vero aperuisset ostium, dixit ei: Egredere, quoniam remisit tibi Deus peccata tua. Illa respondit: Testor Deum, quia ex quo huc ingressa sum, omnia peccata mea velut sarcinam statui ante oculos meos, et non discesserunt peccata mea ab oculis meis, sed flebam semper illa conspiciens. Cui abbas Paphnutius ait: Non propter pœnitentiam tuam remisit tibi Deus, sed quia horum cogitationem semper habuisti in animo. Et quum eam inde eduxisset, quindecim tantum diebus Thaisis vixit, et sic pausavit in pace ».

(*b*) Pag. 158: Le support des opprobres, abaissements, abjections, était à son jugement la vraie pierre de touche de l'humilité, parce que l'on était en cela plus conforme à Jésus-Christ, modèle de toute solide vertu, lequel *s'était anéanti et humilié soi-même, se rendant obéissant jusqu'à la mort, et la mort ignominieuse de la croix* (Philipp., II, 7-8).

CAPUT X.

Caritas non est ambitiosa.

Dei amantem non ambire nisi Deum.

1. Qui Deum amat, hominum existimationem et amorem non sectatur; unum cupit, probari se Deo, quem unice diligit. S. Hilarius: *Omnis sæculi honor*, inquit, *diaboli negotium est* [1]. Et re quidem vera; adversarius, existimationis desiderium menti injiciens, pro inferno negotiatur; humilitatem enim perdens, in omne malum ruendi periculum subit. Deus, inquit S. Jacobus, in distribuendis gratiis sicut humilibus manum laxat, ita superbis eam contrahit, iisque resistit: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (Jac., IV, 6). « Superbis resistit », i. e. eorum precibus ne aurem quidem præbet. Est autem superbiæ actibus certo annumerandum, bonam hominum

[1] *In Matth.*, cap. 3, n. 5.

opinionem venari, et honoribus tributis intumescere.

2. Terrificum hac in re exemplum fuit frater Justinus Ord. Minorum. Ad eminentem contemplationis gradum ascenderat; sed quia fortasse, aut potius certo, humanæ gloriæ desiderium in pectore fovebat, en quid ei acciderit. Summus Pontifex Eugenius IV, optima sanctitatis ejus opinione impulsus, quodam die accersitum eum honorifice excepit, amplexus est jussitque prope sedere. Quo favore ita intumuit Justinus, ut S. Joannes Capistranus ei diceret: « Eheu, frater Justine, angelus abiisti, rediisti diabolus! » Et sane, insolentior in dies factus, et contendens, tanti ab aliis se fieri debere quanti se ipse faceret, vel eo misere processit, ut socium cultro percusserit. Deinde apostata factus Neapolim aufugit, atque ibi aliis perpetratis sceleribus, in vinculis tandem decessit [1]. Unde sapienter eximius quidam Dei servus asseruit: Si audimus vel legimus, corruisse aliquas Libani cedros, viros nempe, quorum apud omnes singularis erat sanctitatis opinio, ut Salomo-

[1] Wadding, *Annales Minorum*, ann. 1445, n. XVI-XVIII (tom. XI, pag. 241).

nem, Tertullianum, Osium; indicio est, eos non se integros Deo dedisse, atque intimo corde quemdam fovisse superbiæ spiritum, qui præcipites eos dejecit. Quapropter si prodeundi vel hominum laudem consequendi cupiditas in nobis assurgat, contremiscamus. Quodsi mundus honorem nobis tribuat, eo ne delectemur; nam illud ruinæ nostræ causa esse potest.

3. Maxime cavcamus a nimio honoris nostri tuendi studio. *Si quis de honore suo contendere voluerit*, inquit S. Teresia, *perfectionis spiritum numquam habebit* [1]. Multi vitam spiritualem profitentur, sed bonam sui opinionem velut idolum quoddam colunt. Virtutis speciem præ se ferunt, sed ex omnibus, quæ agunt, laudem captare volunt; quodsi neminem reperiant, qui laudes tribuat, sui laudatores fiunt. Ceteris meliores videri conantur, et ubi de famæ integritate aliquid detrahitur, animi pacem amittunt, a Communione et reliquis pietatis exercitiis abstinent, neque ante quiescunt quam perditam æstimationem se recuperasse confidunt. Non ita agunt Dei vere amantes.

[1] *Via perfectionis*, cap. 13.

Non solum in suam laudem non loquuntur, nec laudibus delectantur, sed potius ægre ferunt, ab aliis se laudari, et gaudent, quod ab hominibus parvi æstimantur.

4. Verissimum est illud S. Francisci Assisiensis: *Quanti sum coram Deo, tanti sum* [1]. Quid prodest magnum nomen apud homines habere, si apud Deum viles et abjecti sumus? Quid contra refert mundum nos aspernari, si cari et accepti sumus oculis Dei? S. Augustinus: *Nec malam conscientiam sanat laudantis præconium*, inquit, *nec bonam vulnerat conviciantis opprobrium* [2]. Quemadmodum laudantes nos non liberant pœnâ malis operibus debitâ; sic meritum bonis operibus debitum non auferunt vituperantes. « Quid nostra refert », dicebat S. Teresia, « a creaturis accusari et pro minimis haberi, si coram Te magni et sine culpa sumus? » [3]. Sancti hoc unum cupiebant, ignoti esse et ab omnibus abjecti haberi. « At », inquit S. Franciscus Salesius, « quænam injuria nobis infertur, si male sen-

[1] *S. Francisci vita a S. Bonaventura conscripta*, cap. 6. — [2] *Contra litteras Petiliani Donatistæ*, lib. III, cap. 7. — [3] *Via perfectionis*, cap. 16.

titur de nobis, quum nos quoque idem opinari oportet? » [1]. An forte malos nos esse, haud ignoramus; sed ut alii pro bonis nos habeant, volumus?

5. Oh quam secura est abscondita vita iis, qui Jesum Christum ex animo diligere volunt! Exemplum Jesus ipse nobis dedit, triginta annos absconditam abjectamque in officina vitam agens. Quapropter Sancti, ut hominum æstimationem vitarent, in eremis et speluncis vitam degere voluerunt. S. Vincentius a Paulo, studium quo in publicum prodire cupimus, et volumus, ut alii honorifice de nobis loquantur, nostram agendi rationem laudent, et dicant, recte nos et mirifice negotia gerere, hoc efficere ajebat, ut Dei obliti vivamus, eamque ob causam esse malum, quod sanctissimas corrumpat actiones, et vitium, quod progressui in vita spirituali omnium maxime noceat.

6. Qui ergo in Jesu Christi amore progredi cupit, existimationis sui amorem prorsus exstinguat necesse est. Sed quomodo illud fieri poterit? Et quomodo hoc fieri posse doceat

[1] *Esprit*, partie XII, chap. 3 (*a*).

S. Maria Magdalena de Pazzis: « Omnibus probari, est hujus appetitûs vita; ergo ejus mors est delitescere, ne quis hominum nos cognoscat. Et qui ad illam mortem nondum pervenerit, vere Dei servus non erit ».

7. Ut ergo Dei oculis accepti simus, cavendum est, ne in publicum prodire et hominum oculis accepti esse studeamus. Et multo magis cavendum est a studio ceteris hominibus imperandi. Malebat S. Teresia [1] monasterium suum una cum omnibus monialibus incendio absumi quam invadi maledicto illo dominandi studio. Si autem monialis quædam abbatissæ dignitatem ambiret, e monasterio eam expelli volebat aut saltem in carcere semper inclusam teneri. S. Maria Magdalena de Pazzis: « Qui vitæ spirituali deditus est », inquit, « honorem suum collocet in subjectione omnibus præstanda et in horrore prælationis ». Hæc ergo animæ Dei amantis ambitio sit, humilitate omnibus antecellere, juxta illud Apostoli: *In humilitate superiores* (Philipp., II, 3). In summa, qui Deum amat, nihil nisi Deum ambiat.

[1] *Via perfectionis*, cap. 8.

Pii affectus et preces.

Mi Jesu, da mihi ambitionem tibi placendi, et fac ut omnium creaturarum atque etiam meipsius oblitus vivam. Quid mihi prodest, ab omnibus amari et magni fieri, si tu me non ames, qui unicus es animæ meæ amor? Tu, mi Jesu, ad hanc terram venisti, ut corda nostra ad te attraheres; si ego cor meum tibi tradere nesciam, tu illud tibi aufer, amore tuo illud imple, nec permitte, ut posthac a te divellar. Olim te deserui; nunc vero agnoscens, quantum deliquerim, toto corde doleo et super omnia conflictor, quod tam multas tibi intuli injurias. Hoc me solatium sustentat, te esse bonitatem infinitam, quæ peccatorem te amantem redamare non dedigneris. Dilectissime Redemptor, o dulcis amor meæ animæ, olim te despexi, nunc vero te magis quam meipsum diligo. Meipsum et omnia mea tibi offero; non aliud cupio nisi te diligere tibique complacere. Hæc mea est ambitio; tu eam suscipe, adauge eam, omnemque rerum mundanarum cupidinem in

me exstingue. Amore tu summopere dignus es, meque ad te amandum incredibiliter obstrinxisti. Ecce me, totus tuus esse volo, et quidquid volueris, patiar pro te, qui mei amore in cruce dolore consumptus es. Sanctum me esse vis, sanctum me reddere potes, tibi confido. In tuo quoque præsidio fiduciam repono, o excelsa Dei mater, Maria.

NOTÆ.

(*a*) Pag. 170: « Quel tort nous fait-on, quand on a mauvaise opinion de nous? Ne la devons-nous pas avoir telle de nous-mêmes? Telles gens ne sont pas nos adversaires, mais nos partisans, puisqu'avec nous ils entreprennent la destruction de notre amour-propre. Pourquoi nous fâcher contre ceux qui viennent à notre aide contre un si puissant ennemi? »

CAPUT XI.

Caritas non quærit quæ sua sunt. Jesu Christi amantem rebus creatis non adhærescere.

1. Qui Jesum Christum ex toto corde amare cupit, quidquid non Deus, sed amor sui est, ex eo expellere debet. Hoc significat illud *non quærere quæ sua sunt*, non quærere seipsum, sed solum quæ Deo placent. Illud Dominus unicuique nostrum præcipit, quum dicit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* (Matth., XXII, 37). Ut Deum ex toto corde diligamus, duo requiruntur: auferamus ex eo quidquid terrenum est, atque illud sancto amore impleamus. Donec ergo in corde reperitur terrenus aliquis affectus, totum Dei esse nequit. Quantum amoris, inquit S. Philippus Nerius, impertimur creaturis, tantum Deo subtrahimus. Quomodo autem cor nostrum rebus terrenis nudamus? Mortificatione et a rebus creatis avulsione. Nonnulli lamentantur, quod Deum quærentes non inveniant; S. Teresiæ accipiant

monitum: « Cor a rebus creatis abstrahe; quære Deum: invenies » [1].

2. Ideo nonnulli falluntur, quod modo suo ad sanctitatem pervenire volunt: Jesum Christum amare cupiunt, sed dummodo ingenio suo vivere liceat, oblectationibus suis, vano corporis ornatu, delicatioribus cibis non relictis; Deum amant, sed si ad illud officium obtinendum non perveniunt, turbati vivunt; si aliquod bonæ famæ detrimentum faciunt, iracundiâ exardescunt; si illo morbo non liberantur, patientiam amittunt. Deum amant, sed non deponunt amorem divitiarum et honorum hujus sæculi, nec desinunt nobiles, sapientes aliisque meliores haberi velle. Operam dant orationi, ad Communionem accedunt; sed quum animum rebus terrenis plenum habeant, parum proficiunt. Ad eos ne loquitur quidem Dominus, quia frustra se locuturum esse videt, ut aliquando S. Teresiæ his verbis significavit: « Multas quidem animas alloqui vellem; sed mundo obstrepente, vocem meam percipere nequeunt. Oh si a mundo paululum recederent! » Qui ergo

[1] Monitum 36.

terrenis affectibus plenus est, Dei loquentis vocem ne audire quidem potest. Vae autem illi, qui sensibilibus hujus mundi bonis adhæresceit; facile accidet, ut iis obcæcatus, Jesum Christum diligere aliquando desinat, et ne amittat bona illa fugitiva, Deum, bonum infinitum, in æternum amittat. « Æquum est », inquit S. Teresia, « ut qui perdita bona consectetur, ipse quoque pereat ».

3. S. Augustinus [1] imperatorem Tiberium voluisse ait, ut a Senatu romano Jesus Christus in deos reponeretur; Senatum vero annuisse, quod superbus deus esset, qui solus ceteris exclusis, vellet adorari. Ita quidem est. Vult Deus solus a nobis adorari et amari, non quia superbus, sed quia dignus est, atque etiam propter amorem, quo nos prosequitur. Quia nos valde amat, totum amorem nostrum sibi postulat; et velut æmulus circumspecta ne quis partem sibi rapiat eorum cordium, quæ tota sua esse velit. S. Hieronymus: *Zeloty*, inquit, *est Jesus* [2]; neque nos præter se

[1] *De Consensu Evangelistarum*, lib. I, cap. 12, n. 18 (a. — [2] Epist. 22, *de Custodia virginitatis, ad Eustochium, Paulæ filiam*, n. 25.

ipsum quidquam diligere patitur. Quodsi advertat, in aliquo corde rem creatam sua quoque parte esse potitam, ei, ut S. Jacobus ait, quodammodo invidet, quum rivalem non ferens, solus amari velit: *An putatis quia inaniter Scriptura dicat: Ad invidiam concupiscit Spiritus, qui habitat in vobis?* (Jac., IV, 5). In sacris Canticis Dominus sponsam suam his laudibus prosequitur: *Hortus conclusus, soror mea sponsa* (Cant., IV, 12). « Hortum conclusum » eam vocat, quia anima sponsa quæ terreno amori cor occlusum tenet, ut conservet solius Christi amorem. An forte Jesus Christus toto amore nostro dignus non est? Immo dignissimus et propter suam bonitatem et propter amorem, quo nos prosequitur. Hæc Sancti probe intelligunt; quare S. Franciscus Salesius: « Si scirem », inquiebat, « in corde meo inesse fibram, quæ Dei non esset, eam statim evellerem » [1].

David alas habere cupiebat cujuslibet mundani affectus visco liberas, ut evolaret et requiesceret Deo quiesceret: *Quis dabit mihi pennas*

[1] *Esprit*, partie X, chap. 9.

sicut columba, et volabo, et requiescam? (Ps. LIV, 7). Multi vellent, ab omni rerum terrenarum laqueo expediti, ad Deum evolare, et revera celeri volatu in sanctitate proficerent, si a cunctis hujus mundi rebus se divellerent; sed quia parvum aliquem conservant inordinatum affectum, a quo dissolvi non conantur, in suis miseriis assidue tabescunt, neque unquam in auras attolluntur. S. Joannes a Cruce: « Anima », inquit, « affectione ad aliquam vel minimam rem ligata, etiamsi multis prædita sit virtutibus, ad divinam unionem numquam perveniet; parum enim refert, utrum avis magno an tenui filo ligata sit: donec illud, quamquam tenuissimum, non abrupit, evolare nequit. Heu miserandum spectaculum! Nonnulli spiritualibus exercitiis, virtute Deique muneribus abundant; quia vero ad abrumpendam illam affectiunculam animus desit, ad divinam unionem pervenire non possunt; quum tamen nihil aliud requireretur nisi strenuus volatus, quo filum frangerent: nam ubi anima ab omni affectu creato liberata est, fieri non potest, quin Deus semetipsum ei plene communicet » [1].

[1] *Ascensus ad Carmelum*, lib. I, cap. 11.

5. Qui Deum totum suum esse cupit, se totum Deo tradere debet. Sacra sponsa: *Dilectus meus mihi*, inquit, *et ego illi* (Cant., II, 16); i. e. se totum mihi tradidit, et ego me totam tradidi ei. Jesus Christus, pro suo erga nos amore, totum amorem nostrum sibi postulat; quem nisi totum obtinuerit, contentus non est. Quare S. Teresia, ad monialem, quæ uni ex suis monasteriis præerat, scribens: « Stude », inquit, « animas ab omni rerum creatarum affectu solutas educare; educantur enim, ut sponsæ sint regis tam invidi, ut eas etiam semetipsas oblivisci velit ». S. Maria Magdalena de Pazzis uni ex suis novitiis pium aliquem libellum abstulit hanc unam ob causam, quod eam illius nimis cupidam esse animadvertisset. Multi quidem orationem mentalem colunt, SS. Sacramentum visitant, ad Communionem frequenter accedunt; quum vero cor, terreno affectui adnexum, illuc afferant, in perfectione parum vel nihil progrediuntur; et donec ita vivunt, non solum miseri esse pergent, sed in periculo sunt perdendi omnia.

6. Deum ergo, ut cor nostrum ab omni terreno affectu expurget, cum Davide precari de-

bemus: *Cor mundum crea in me, Deus* (Ps. L, 12); secus numquam toti ejus esse poterimus. Aperte nos docuit, eum, qui cuncta terrena non abjiciat, non posse genuinum ejus esse discipulum: *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (Luc. XIV, 33). Quapropter antiqui Patres in eremo, si quis juvenis, ut in eorum numerum aggregaretur, sese offerret, hoc ab eo quærere solebant: « Affersne cor vacuum, ut illud Spiritus-Sanctus implere possit? » Neque aliud ipse Deus S. Gertrudi, ex eo sciscitanti, quid a se postularet, respondit: « Nihil aliud a te postulo nisi cor a creaturis vacuum » [1]. Forti igitur et obfirmato animo sic Deo dicamus: « Te, Domine, omnibus præfero, sanitati, divitiis, dignitatibus, honoribus, laudibus, scientiis, solatiis, exspectationibus, desideriis, atque ipsis tuis gratiis ac donis, quæ a te recipere possem. Te pluris facio quam omne bonum creatum, quod præter te, mi Deus, existit. Quocumque do.o me affeceris, mi Deus, præter te mihi satis non est. Te solum volo, nec quidquam aliud ».

[1] *Insin.*, lib. IV, cap. 26.

7. Animum, ab omni rerum creatarum affectu liberum, statim ingreditur et replet divinus amor. Et S. Teresia: « Malis occasionibus procul remotis », inquit, « animus ad divinum amorem illico se convertit ». Et re quidem vera; sine amore animus vivere nequit; aut Creatorem aut res creatas amet necesse est; si non amat creata, Creatorem certo amaturus est. Quid multa? Dimittenda sunt omnia, ut omnia acquirantur. *Totum pro toto*, inquit Thomas a Kempis [1]. S. Teresia, donec affectum aliquem, licet honestum, erga unum ex propinquis suis fovebat, tota Dei non erat; ubi autem forti animo vinculum illud solvit, a Jesu Christo audire meruit: « Nunc tu, Teresia, tota mea es, et ego sum totus tuus » [2]. Parum est, Deum tam amantem, tam amabilem, infinito amore dignum, uno tantum corde diligere; nos autem cor istud etiam inter Deum et creaturas dividere volumus? Pudebat Ven. Ludovicum de Ponte, Deo dicere: « Te, Domine, amo super omnia, super divitias, honores, amicos et propinquos »; sibi enim Deo dicere videbatur:

[1] *Imit.*, lib. III, cap. 37. — [2] *Vita*, cap. 39.

« Te, Domine, amo super lutum, fumum et vermiculos terræ ».

8. Jeremias Propheta Dominum ait, erga eos qui se perquirant, bonitate abundare: *Bonus est Dominus... animæ quærenti illum* (Thren., III, 25). Intellige tamen de illa anima, quæ solum Deum quærat. Oh felicem amissionem! Oh felicem acquisitionem! Amittere bona hujus mundi, quæ animum non explent et cito pereunt, ut Deus, summum atque æternum bonum, acquiratur! Pium quemdam eremitam ferunt, solitudinem percursantem, principi silvam ingresso, obvium fuisse. Is, quum errabundum anachoretam vidisset: « Quis es tu », inquit; « hic quid perquiris? » Cui ille: « Et tu, domine, quid hac in solitudine agis? » « Ego », inquit, « feras venari cupio ». Eremita autem: « Ego », respondit, « Deum venari cupio ». Quo dicto abiens, porro perrexit. Hæc similiter unica nostra hac in vita cogitatio, hoc unicum propositum esse debet, perquirere Deum, quem amemus, ejusque voluntatem, cui pareamus, expulsa omni rerum creatarum affectione. Si autem, ad nostrum amorem sibi conciliandum, terrenum aliquod bonum sese obtulerit, parati

simus ei dicere: *Regnum mundi et omnem ornatum sæculi contempsi propter amorem Domini mei Jesu Christi.* Atqui dignitates et fastigia hujus mundi quid aliud sunt nisi fumus, lutum et vanitas, quæ in morte penitus evanescit? Beatus, qui dicere potest: « Mi Jesu, amore tui omnia reliqui; tu solus amor meus es, tu solus mihi sufficis ».

9. Anima, divino amore plene occupata, sponte sua (divina scilicet opitulante gratia) abjicit omnia creata, quæ impedire possunt, ne tota Dei sit. « Deflagrante domo », inquit S. Franciscus Salesius [1], « tota supellex per fenestram ejicitur »; i. e. qui se totum Deo tradidit, etiam nullo prædicatore vel confessario exhortante, omnem terrenum affectum ultro abjicere conatur. P. Segneri Junior divinum amorem ajebat furem esse, qui cuncta nobis feliciter eripit, ut nihil nisi Deum possideamus. Probus quidam vir, qui, abjectis possessionibus, Jesu Christi amore pauper erat factus, ab amico interrogatus, quomodo ad tantam paupertatem recidisset, Evangeliorum librum e veste pro-

[1] *Esprit*, partie III, chap. 27.

ferens: « Hic », inquit, « omnibus rebus me spoliavit ». Spiritus-Sanctus docet: *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam* (Cant., VIII, 7). Anima, quando omnem amorem suum in Deo collocavit, omnia despicit, divitias, oblectamenta, dignitates, prædia, regna; et nihil præter Deum cupiens, dicit semperque repetit: « Mi Deus, te solum volo, nec quidquam aliud ». « Purus Dei amor », inquit S. Franciscus Salesius, « quidquid Deus non est, ita consumit, ut illud in suam convertat naturam [1]; quidquid enim ex Dei amore fit, amor est » [2].

10. Sacra Sponsa: *Introduxit me,* inquit, *in cellam vinariam, ordinavit in me caritatem* (Cant., II, 4). Vinaria hæc cella, inquit S. Teresia, est divinus amor, qui, quem occupat, adeo inebriat, ut omnia creata obliviscatur. Ebrius velut mortuus est sensibus; non videt, non sentit, non loquitur; ita quoque anima, divino amore ebria, quidquid hujus mundi est, quasi non percipit; nihil præter Deum cogitare vult, nihil nisi de Deo loqui, neque aliud fa-

[1] *Lettre 531; à Madame de Chantal, 22 oct. 1622.* — [2] *Lettre 203; à Madame de Chantal, 14 sept. 1611.*

cere nisi Deum amare eique complacere. In sacris Canticis Dominus præcipit: *Ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam* (Cant., II, 7). Beatus ille animarum, Jesu Christi sponsarum, somnus nihil aliud est, inquit S. Basilius, nisi *summa rerum omnium oblivio* [1], i. e. sancta quædam et voluntaria oblivio rerum creatarum, ut de Deo solo anima occupetur et cum S. Francisco dicere possit: *Deus meus et omnia:* Quid, mi Deus, divitias, dignitates vel bona hujus mundi concupiscam! Tu mihi omnia, tu omne meum bonum es. *Deus meus et omnia; o dulce verbum,* inquit Thomas a Kempis. *Intelligenti satis dictum est; et sæpe repetere jucundum est amanti: Deus meus et omnia, Deus meus et omnia* [2].

11. Ut ergo ad perfectam cum Deo unionem perveniatur, omnimoda requiritur a creaturis animi disjunctio. Ut autem ad singula descendamus, necesse est, inordinatum erga propinquos affectum excutere. Jesus Christus: *Si quis venit ad me,* inquit, *et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et*

[1] *Regulæ fusius tractatæ,* interrogatio 6 (Conf. Cornel. a Lapide *in Cant.*, II, 7). — [2] *Imit.*, lib. III, cap. 34.

sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus (Luc., XIV, 26). Cur autem propinquos odio habere jubemur? Quia sæpe, quum de animæ utilitate agitur, majores quam propinquos non habemus inimicos. *Et inimici hominis, domestici ejus* (Matth., X, 36). Affirmabat S. Carolus Borromæus, quoties adiisset propinquorum domum, toties se spiritu languidiorem rediisse. Et P. Antonius Mendozza, interrogatus, cur ad propinquorum domum accedere nollet: « Quia experientia me docuit », respondit, « religiosos nusquam devotionem adeo perdere quam in propinquorum domo ».

12. Quod ad statûs electionem attinet, certum est, ut docet S. Thomas [1], neminem parentibus obedientiam debere. Juvenis ad statum religiosum vocatus, si parentes reluctentur, Deo obedire debet, non autem parentibus, qui suis commodis intenti sibique tantum consulentes, spirituali nostro bono obsistunt: *Frequenter*, inquit S. Thomas, *amici carnales adversantur profectui spirituali* [2]. Et potius habent, inquit

[1] 2. 2., qu. 104, art. 5. — [2] 2. 2., qu. 189, art. 10.

S. Bernardus [1], filios suos damnari quam domum paternam relinquere.

13. Qua in re nonnulli parentes, quamquam ceteroquin Deum timent, cæco amore rapti, mirum quantum laborant nec quidquam omittunt, ut filio, qui religionem ingredi cupit, vocationem impediant; quæ quidem agendi ratio, rarissimo aliquo casu excepto, a culpa gravi excusari nequit. At, dices, talis ergo juvenis, nisi religionem ingrediatur, salvari non potest? Ergone quicumque in sæculo remanserit, damnabitur? Respondeo: Qui ad statum religiosum a Deo non vocantur, in sæculo salvabuntur, si conditionis suæ officia implent; qui vero vocati, Deo non obtemperant, salvari quidem possunt, sed difficulter salvabuntur; deerunt enim specialia illa auxilia, quæ Dominus in statu religioso iis paraverat, et sine quibus ad salutem non pervenient. Qui divinæ vocationi non obtemperat, inquit Habert theologus, *non sine magnis difficultatibus poterit saluti suæ consulere, manebitque in corpore Ecclesiæ velut membrum suis sedibus motum, quod servire potest, sed*

[1] Epist. 111 (*b*).

ægre et cum deformitate [1]. Unde sic concludit: *Licet, absolute loquendo, salvari possit, difficile tamen ingredietur viam humilitatis et pœnitentiæ, qua sola ipsi patet ingressus ad vitam* [2].

14. Electionem statûs P. Ludovicus Granatensis *principem rotam* vocat. Sicut horologium, præcipuâ rotâ vitiatâ, penitus turbatur; sic et vita nostra, statûs electione non recte factâ, in salutis consequendæ negotio turbationis plena erit. Quam multi miserandi juvenes, vocatione propter parentes deperditâ, et ipsi misere perierunt, et domui etiam suæ attulerunt ruinam! Juvenis quidam, quum patris impulsu religiosam vocationem amisisset, ad tantas postea cum ipso patre contentiones devenit, ut sua manu eum occiderit, atque ipse supplicio affectus sit. Alius quidam, in Seminario vitam degens, a Deo vocabatur, ut sæculo valediceret. Quum autem vocationem neglexisset, primo pietatis exercitia, orationem et communionem prætermittere cœpit, ac deinde vitiis indulsit, donec tandem nocte quadam perditæ feminæ domum egrediens, a rivali suo trucidatus est; plures quidem sacer-

[1] *De Ordine*, p. 3, cap. 1, § 2. — [2] Ibid.

dotes advolarunt, sed jam mortuum invenerunt. Et quam multa horum similia exempla afferre possem.

15. Sed ad propositum revertamur. S. Thomas Angelicus eos, qui ad perfectiorem vitam vocantur, admonet, ne consilium hac in re exquirant a propinquis, quum in tali negotio inimici fiant: *Ab hoc consilio amovendi sunt carnis propinqui....; in hoc proposito amici non sunt, sed potius inimici, juxta sententiam Domini:* « *Inimici hominis, domestici ejus* »[1]. Si autem filii, in vocatione ad perfectiorem statum sequenda, non tenentur patrem consultare, multo minus tenentur ejus exspectare licentiam; neque etiam eam petere, quando probabile est, patrem eam injuste esse negaturum, atque ita vocationi allaturum esse impedimentum. S. Thomas Aquinas, S. Petrus de Alcantara, S. Franciscus Xaverius, S. Ludovicus Bertrandus et multi alii, ne admonitis quidem parentibus, vitam religiosam amplexi sunt.

16. Præterea, quemadmodum in magno damnationis periculo versatur quicumque, ut pa-

[1] Opusc. 17. *Contra retrahentes homines ab ingressu religionis*, cap. 9.

rentibus morem gerat, Dei vocationem negligit; ita quoque æternam salutem in magnum discrimen adducit qui, ne parentibus displiceat, sine Dei vocatione statum ecclesiasticum eligit. Tria sunt signa, quibus vera ad sublimem illum statum vocatio dignoscitur: scientia, propositum soli Deo serviendi, et vitæ bonitas; de qua vitæ bonitate hic specialiter agam.

17. Tridentina Synodus Episcopos vetuit, ne ad sacros Ordines promoverent eos, quorum vitæ integritas non esset probata: *Subdiaconi et Diaconi ordinentur ut habentes bonum testimonium et in minoribus Ordinibus jam probati* [1]. Quod idem jam antea præscriptum erat in *Cap. Nullus. Dist. 24: Nullus ordinetur, nisi probatus fuerit.* Quæ quidem verba proxime spectant ad externum testimonium, quod Episcopus de ordinandi probitate exigere debet; dubitari tamen non potest, quin Concilium non tam externam requirat quam internam bonitatem, sine qua externa non esset nisi mera fallacia. Quapropter in eadem Sessione Synodus monet: *Sciant Episcopi, debere*

[1] Sess. 23, cap. 13.

ad hos (sacros) Ordines assumi dignos dumtaxat, et quorum probata vita senectus sit [1]. Constat præterea, idcirco ut bona ordinandi vita probetur, Synodum pro diversis Ordinum gradibus interstitia præscribere: *Ut in eis cum ætate vitæ meritum et doctrina major accrescat* [2].

18. Cujus rei S. Thomas hanc affert rationem: *Quia per sacrum ordinem aliquis deputatur ad dignissima mysteria, quibus ipsi Christo servitur in Sacramento altaris; ad quod requiritur major sanctitas interior quam requirat etiam religionis status* [3]. In iis autem, quæ circa eamdem materiam subjungit, non tam de ordinatis quam de ordinandis loquitur; quum enim dicat, ordines sacros *præexigere sanctitatem*, indicat, hominem priusquam ordinetur, sanctum esse debere; atque hoc differre ait statum religiosum ab ordinum sacrorum statu, quod in religione vitia exstirpantur, ad suscipiendos vero ordines sacros requiritur, ut homo per sanctam vitam ea jam exstirpaverit. Hæc sunt Angelici verba: *Ordines sacri præ-*

[1] Sess. 23, cap. 12. — [2] Ibid., cap. 11. — [3] 2. 2., qu. 184, art. 8.

exigunt sanctitatem, sed status religionis est exercitium quoddam ad sanctitatem assequendam. Unde pondus Ordinum imponendum est parietibus jam per sanctitatem desiccatis; sed pondus religionis desiccat parietes, id est homines, ab humore vitiorum [1]. Idem alio loco his verbis explicat: *Ut sicut illi, qui Ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu Ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis* [2]. Quod sanctitatis meritum adesse vult, priusquam ordo conferatur; nam illud necessarium esse dicit, non solum ut ordinatus ordines digne exerceat, sed etiam ut ordinandus digne aggregetur inter Jesu Christi ministros: *Et ideo præexigitur gratia, quæ sufficiat ad hoc, quod digne connumerentur in plebe Christi* [3]. Et tandem concludit: *Sed confertur in ipsa susceptione Ordinis amplius gratiæ munus, per quod ad majora reddantur idonei* [4]. Notentur verba, *ad majora;* quibus declarat, sacramentalem gratiam non esse inutilem, sed ordinando majora auxilia daturam esse, quibus ad majora merita acquirenda idoneum se reddat;

[1] 2. 2., qu. 189, art. 1. — [2] Suppl., qu. 35, art. 1. — [3] Ibid. — [4] Ibid.

simul tamen indicat, in eo requiri præcedentem gratiam *gratum facientem*, quae sufficiat, ut dignus sit, qui in Christi plebem cooptetur.

19. In Theologia Morali fuse disserui [1], ut demonstrarem, eos, qui sine bonæ vitæ experimento sacrum aliquem Ordinem suscipiant, a gravi culpa excusari non posse; quum a Deo non vocati, ad sublimem illum gradum ascendant; nec vocatus a Deo dici possit, qui Ordinem suscipiat nondum liberatus aliquo vitio, cui deditus est, maxime contra castitatem. Atque etiamsi eorum aliquis esset Sacramenti Pœnitentiæ capax, utpote doloris ope jam rite dispositus; nondum tamen est idoneus ad sacrum Ordinem suscipiendum, qui præterea vitæ bonitatem diuturnâ experientiâ probatam expostulat. Secus peccati mortalis immunis esse nequit, primum ob gravem temeritatem, qua sine vocatione in sacra ministeria se intrudit; quare S. Anselmus: *Qui enim se ingerit*, inquit, *et propriam gloriam quærit, gratiæ Dei rapinam facit, et ideo non accipit benedictionem, sed maledictionem* [2]; ac deinde propter

[1] Lib. VI, cap. 2, n. 63 seq. — [2] *In Hebr.*, V.

magnum damnationis periculum, cui se exponit, ut ait Abelly Episcopus: *Qui sciens et volens, nulla divinæ vocationis habita ratione* (ut facit, qui gravi alicui vitio assuetus, ordinem suscipit), *sese in sacerdotium intruderet, haud dubie seipsum in apertissimum salutis discrimen injiceret* [1]. Idem dicit Soto, quum de sacramento Ordinis disserens, positivam ordinandi sanctitatem ait explicito præcepto requiri: *Quamvis morum integritas non sit de essentia Sacramenti, est tamen præcepto divino maxime necessaria... At vero, quod de idoneitate eorum, qui sacris sunt ordinibus initiandi, definitur, non est generalis illa dispositio, quæ in suscipiente quodcumque Sacramentum requiritur, ne sacramentalis gratia obicem inveniat... Enimvero, quoniam per sacramentum Ordinis homo non solum gratiam suscipit, sed ad sublimiorem statum conscendit, requiritur in eo morum honestas et virtutum claritas* [2]. Idem asserunt Thomas Sanchez [3], Holzmann [4] et Salmanticenses [5]. Illud ergo, quod

[1] *Sacerdos christianus*, p. I, cap. 4. — [2] In IV sent., dist. 25, qu. 1, art. 4. — [3] *Consilia*, lib. VII, cap. 1, dub. 46, n. 1. — [4] *De Sacram. Ord.*, n. 96. — [5] Tract. VIII, *de Ord.*, cap. 5, n. 40.

scripsi, non est unius alteriusve doctoris opinio, sed est sententia communis; et omnes doctrina S. Thomæ nituntur.

20. Quum igitur ordinandus bonæ vitæ experimento caret, graviter peccat non solum is, qui Ordinem suscipit, sed etiam Episcopus, qui sacrum Ordinem confert sine debita probatione, qua de bona ordinandi vita moraliter certus fiat. Item graviter peccat confessarius, qui absolvit talem ordinandum, alicui vitio deditum, quum sine diuturno bonæ vitæ experimento Ordinem sacrum suscipere velit. Graviter quoque peccant ii parentes, qui pravam filiorum vitam cognoscentes, eos ad sacros Ordines suscipiendos impellunt in suum familiæque emolumentum. Status ecclesiasticus a Jesu Christo non ideo est institutus, ut rei familiaris utilitati serviatur, sed ut consulatur divinæ gloriæ et saluti animarum. Sunt, qui statum ecclesiasticum pro negotio sæculari vel artificio honorifico et quæstuoso habeant; sed falluntur. Episcopus ergo, quum parentes instant, ut filio imperito vel pravæ vitæ dedito Ordines conferat hanc ob causam, quod pauperes sint et nesciant, quomodo familia sustineri

possit, respondere debet: « Non ita, fili; status ecclesiasticus non est adjuvandæ familiarum egestati, sed Ecclesiæ bono promovendo destinatus ». Atque ita omnino dimittantur, neque amplius audiantur eorum preces; nam tales indigni non solum suæ animæ ruinam afferre solent, sed etiam familiæ et toti regioni.

21. Et quod ad eos sacerdotes attinet, qui domi suæ habitant, quum parentes vellent, eos non tam ministerii sui officiis quam familiæ emolumento et dignitati operam dare, illud dicere debent, quod Jesus Christus divinæ Matri respondit: *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* (Luc., II, 49). Respondeant ergo: « Sacerdos ego sum; non est meum, pecuniam augere vel honores conciliare aut rei domesticæ administrandæ præesse; sed segregem vitam agere, orationi ac studio operam dare, animasque juvare ». Si qua porro stricta familiæ juvandæ necessitas esset, adjuvet quoad facere poterit, salvâ tamen præcipuâ ejus curâ sanctificandi semetipsum et alios.

22. Præterea qui totus Dei esse cupit, hominum existimationem nihil curet necesse est. Quam multi ob illam exsecrandam existima-

tionem a Deo recedunt, vel etiam eum amittunt! Sic, quum aliquem de culpa, quam commiserunt, loquentem audiunt, nihil omittunt, ut innocentiam suam defendant, ostendantque, mendacio et calumniis se appeti. Si autem bonam aliquam actionem fecerunt, omni ope nituntur, ut apud omnes divulgetur; omnes illud scire cupiunt, ut ab omnibus laudentur. Non ita agunt Sancti; culpas suas ab omnibus cognosci volunt, ut ab omnibus pro iis miseris, quos seipsos judicant, habeantur; si quid honesti egerunt, volunt illud notum esse soli Deo, cui soli placere cupiunt. Quapropter absconditam vitam valde diligunt, memores mandatorum Jesu Christi: *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua* (Matth., VI, 3). Et: *Tu autem quum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito* (Ibid. 6).

23. Imprimis abjiciendum est sui ipsius seu propriæ voluntatis studium. Qui seipsum vincit, facile deinde quidquid displicet, superabit. *Vince teipsum*, hoc S. Franciscus Xaverius omnes monere solebat. Jesus Christus autem: *Si quis vult post me venire*, inquit, *abneget semetipsum*

(Matth., XVI, 24). Hæc ergo summa est eorum, quæ facienda sunt, ut ad sanctitatem perveniamus, abnegare nosmetipsos, et propriæ voluntati non obsequi: *Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere* (Eccli., XVIII, 30). Et hoc omnium donorum, quæ a Deo accipi possint, maximum esse ajebat S. Franciscus Assisiensis, suam abnegando voluntatem, seipsum vincere. S. Bernardus: Si omnes homines, inquit, suæ voluntati resisterent, eorum nemo umquam periret: *Cesset voluntas propria, et infernus non erit* [1]. Et alio loco: *Grande malum propria voluntas*, inquit, *qua fit, ut bona tua tibi bona non sint* [2]. Sic, verbi gratia, si quis, invito animæ moderatore, aliquam mortificationem, jejunium, flagellationem facere vellet; hæc mortificatio, peracta ut propriæ voluntati satisfiat, vitiosa evadit. Infelix ille, qui propriæ voluntatis servus est! Multa cupiet, quæ assequi non poterit; multa injucunda subire recusabit, quæ tamen subire cogetur: *Unde bella et lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? Concupiscitis, et*

[1] *In temp. Pasch.*, sermo 3. — [2] *In Cant.*, sermo 71.

non habetis (Jac., IV, 1 et 2). Primum bellum nobis oritur ex appetitu delectationum corporis; occasionem amoveamus, coerceamus oculos, Deo nos commendemus; bellum cessabit. Alterum bellum nobis oritur ex divitiarum cupiditate: paupertatem amemus; bellum cessabit. Tertium bellum nobis oritur ex honorum ambitione: amemus humilitatem et vitam absconditam; bellum cessabit. Quartum bellum, atque illud præ ceteris damnosum, nobis oritur ex propria voluntate: in omnibus ad divinam voluntatem conformemur; bellum cessabit. Si quis animo turbetur, inquit S. Bernardus, ejus commotionis haud alia est causa, nisi quod tunc voluntati suæ morem gerere non possit: *Unde turbatio, nisi quod propriam sequimur voluntatem?* [1] Atque illud Dominus apud S. Mariam Magdalenam de Pazzis his verbis conquestus est: « Sunt, qui spiritum meum sibi cupiant, sed prout ipsis libet; eamque ob causam ad eum recipiendum inhabiles sunt ».

24. Deum ergo diligere debemus, ut ei libet, non ut libet nobis. Deus vult, animam omnibus

[1] Sermo 26, *de voluntate nostra divinæ voluntati subjicienda*, n. 3.

rebus esse vacuam, ut eam sibi conjungere et suo divino amore replere possit. « Oratio unionis », inquit S. Teresia, « non aliud esse mihi videtur, nisi fere omnino mortuum esse omnibus rebus hujus mundi, et solo Deo delectari. Certum est, eo magis Deum seipso nos impleturum et secum conjuncturum esse, quo magis nos, Dei causâ, cunctis creaturis vacuefacti erimus et ab iis abstraxerimus animum »[1]. Multi, vitæ spirituali dediti, ad unionem cum Deo pervenire volunt; sed non volunt res adversas, a Deo immissas; non volunt valetudinis infirmitatem, qua laborant, nec paupertatem, qua premuntur, nec sibi illatas injurias; verumtamen, donec non acquiescunt, ad perfectam cum Deo unionem non pervenient. S. Catharinam Genuensem audiamus: « Ut ad conjunctionem cum Deo perveniatur, necessariæ sunt res adversæ, quas Deus ideo immittit, ut per eas pravi motus interni et externi in nobis consumantur. Ac proinde contemptus, infirmitates, rerum inopia, tentationes et adversa quæque valde necessaria nobis sunt, ut pugnantes

[1] *Castellum Internum*, mansio 5, cap. 1.

et victorias reportantes, ad exstinctionem pravorum motuum perveniamus, adeo ut eos non amplius sentiamus; immo donec adversa jam non amara, sed propter Deum suavia nobis videntur, ad divinam unionem non perveniemus ».

25. Addo praxim, a S. Joanne a Cruce traditam: « Ad perfectam cum Deo unionem requiritur plena sensuum et appetituum mortificatio. Quod ad sensus attinet, omnis delectatio, quæ se obtulerit, si non est unice ob Dei gloriam, statim recusanda est, Jesu Christi amoris causâ; verbi gratiâ, si cupido oriatur videndi vel audiendi ea, quæ ad Deum non magis adducant, tali actione abstineamus. Quod ad appetitum spectat, hoc enitendum est, ut ad pejora, molestiora vel deteriora animus semper propensus sit, et solum cupiat pati et contemni »[2]. In summa, Jesu Christi vere amans amorem erga bona terrena prorsus deponit et omnia exuere studet, ut uni Jesu Christo adhæreat. Ad Jesum Christum spectant omnia ejus desideria, de Jesu semper cogitat, Jesum semper

[1] *Ascensus ad montem Carmelum*, lib. I, cap. 4 et 13.

suspirat, soli Jesu omnibus locis, omni tempore, omni occasione complacere nititur. Sed ut eo perveniatur, cor ab omni affectu ad Deum non spectante evacuetur oportet. Quidnam requiritur, si anima se integram Deo tradere statuerit? Primum, ut devitet, quidquid Deo displiceat, faciat autem illud, quod ei magis placeat. Deinde, ut sine ulla exceptione accipiat quidquid ex ejus manibus venerit, quantumvis durum vel molestum. Denique, ut in omni re divinam voluntatem suæ voluntati præferat. Hoc requiritur, si anima tota Dei esse velit.

Pii affectus et preces.

Ah mi Deus et mea omnia, sentio Te non desistere, ad tuum amorem me vocare, quamquam ego ingratum me præbui et tam negligenter in tuo servitio me gessi. Ecce adsum; ultra tibi resistere nolo. Omnia relinquere volo, ut tuus sim totus. Non amplius mihimetipsi vivere volo. Nimis me ad te amandum obligasti. Anima mea, tui amore capta, ad te, o Jesu, suspirat. Et quomodo possim aliud quidquam diligere, postquam te pro mea salute do-

lore consumptum in cruce exspirare conspexi? Quomodo te dolore consumptum intuear, neque ex toto corde te diligam? Te diligo, dulcissime Redemptor, ex tota anima te diligo, neque aliud cupio nisi te diligere in hac vita et in omni æternitate. O amor mi, spes mea, fortitudo et consolatio mea, vires mihi præbe, ut tibi sim fidelis. Mentem meam illumina, ut sciam, a quibus rebus divelli debeam; voluntatem meam corrobora; in omnibus enim tibi obedire volo. O cordis mei amor, tibi me offero, tibi me penitus trado, ut tuo satisfaciam desiderio, te mihi conjungendi, et totus conjungar tibi, mi Deus meaque omnia. Veni, o Jesu, me totum occupa, et omnes cogitationes et affectiones meas ad te pertrahe. Renuntio desideriis meis, solatiis et omnibus rebus creatis: tu solus mihi satis es. Gratiam mihi concede non cogitandi nisi te, non desiderandi nisi te, non quærendi nisi te, o amor mi et unicum meum bonum. Mater Dei, Maria, sanctam perseverantiam mihi impetra.

—

NOTÆ.

(*a*) Pag. 176: Judæi, inquit, « pro gravissimo scelere occisi Christi, ex ipsa Jerosolyma, quod erat regni eorum caput, penitus eradicati, et romano imperio subjugati sunt. Solebant autem Romani deos gentium, quas subjugabant, colendos [al.: colendo] propitiare et eorum sacra suscipere. Hoc de Deo gentis Hebrææ, quum eam vel oppugnaverunt vel vicerunt, facere noluerunt. Credo quod videbant, si ejus Dei sacra reciperent, qui se solum, deletis etiam simulacris, coli juberet, dimittenda esse omnia, quæ prius colenda susceperant, quorum religionibus imperium suum crevisse arbitrabantur ». — De Tiberio autem et de ejus voluntate Christum in deorum numerum reponendi, atque etiam de Senatûs recusatione, expressis verbis loquuntur, inter alios, Tertullianus (Apologet., cap. 5) et Eusebius (Hist. Eccl., lib. II, cap. 2).

(*b*) Pag. 187: « O durum patrem! o sævam matrem! o parentes crudeles et impios; immo non parentes, sed peremptores: quorum dolor, salus pignoris; quorum consolatio, mors filii est! »

CAPUT XII.

Caritas non irritatur.

Jesu Christi amantem proximo numquam irasci.

1. Non irasci in adversis, ex mansuetudine nascitur. De mansuetudinis actibus supra jam plura diximus; quum autem hæc virtus continuo exercitanda sit iis, qui inter homines vivunt, specialia quædam et ad praxim magis accommodata hic adjiciemus.

2. Humilitas et mansuetudo Jesu Christo carissimæ virtutes fuerunt, quare discipulis suis: *Discite a me*, inquit, *quia mitis sum et humilis corde* (Matth., XI, 29). Redemptor noster Agnus vocatus est: *Ecce Agnus Dei* (Joan., I, 29), tam propter sacrificium, quo in cruce pro peccatis nostris immolaretur, quam propter mansuetudinem, per totam vitam et maxime Passionis tempore ab eo monstratam. In domo Caiphæ quum alapâ percuteretur a servo, qui simul his verbis: *Sic respondes pontifici?* (Joan., XVIII, 22) temeritatis eum argueret,

nihil aliud respondit nisi: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis?* (Ibid., 23). Quam mansuetudinem usque ad mortem exercuit; cruci affixus, illusus ab omnibus et blasphematus, Æternum Patrem orabat: *Pater, dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt* (Luc., XXIII, 34).

3. Oh quam accepti Jesu Christo sunt mansueti corde, qui quum injurias recipiunt, irrisiones, calumnias, persecutiones, vel etiam percussiones et plagas, lædentibus vel perutientibus non irascuntur! *Mansuetorum semper tibi placuit deprecatio* (Judith., IX, 16); i. e. semper exaudietur. Mansuetis modo peculiari paradisus promittitur: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (Matth., V, 4). Paradisum ajebat P. Alvarez, patriam esse eorum, qui despecti, persecutionibus vexati, et conculcati fuerint. Et re quidem vera, iis, minime vero superbis, qui a mundo honorantur et magni habentur, possidendum reservatur æternum illud regnum. David, mansuetos non solum æternam beatitudinem consecuturos esse ait, sed etiam hac in vita fruituros esse placidissima pace: *Mansueti autem hereditabunt terram,*

et delectabuntur in multitudine pacis (Ps. XXXVI, 11). Ita est; Sancti enim adversus eum, a quo injuriosius tractantur, nullam retinent iram, sed magis quam antea eum diligunt; Dominus autem, in eorum patientiæ præmium, internam pacem iis adauget. S. Teresia : « Erga eos, qui male de me loquebantur », inquiebat, « novum percipere amorem mihi videbar » [1]. Unde sacra Rota affirmabat: *Offensiones ipsi amoris escam ministrabant;* ut nempe eum magis amaret, qui magis offendisset. — Talis autem mansuetudo haberi nequit nisi ab eo, qui valde humilis est et abjectam suiipsius habet opinionem, qua omni contemptu dignum se reputet; quocirca superbi semper iracundi et vindictæ cupidi sunt, quum bene de seipsis existiment seque omni honore dignos credant.

4. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur* (Apoc., XIV, 13). In Domino igitur moriendum est, ut quis beatus sit, et hac in vita beatitudine frui incipiat; ea nimirum beatitudine, quæ haberi potest, priusquam ad cælum

[1] *Ribad.*, lib. IV, cap. 26.

aditus pateat; quæ quidem cælesti beatitudine multo inferior est, superior tamen omnibus sensuum delectamentis, quæ his in terris haberi possunt: *Pax Dei*, sic ad discipulos suos Apostolus scribit, *quæ exsuperat omnem sensum* (Phil., IV, 7). Sed ut etiam in mediis injuriis et calumniis illa pace fruamur, in Domino mortuos esse oportet. Mortuus, etiamsi male tractatus vel conculcatus, nihil sentit; sic homo mansuetus, velut mortuus, qui nec videt, nec sentit, omnes contemptus subire debet. Qui Jesum Christum ex corde diligit, eo pervenit; nam ad illius voluntatem omnino conformatus, cum eadem pace eodemque animo prospera et adversa, consolationes et mœrores, injurias et obsequia recipit. Sic Apostolus fecit; ac deinde dicere potuit: *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra* (2 Cor. VII, 4). Oh felix ille, qui ad talem virtutis gradum pervenerit! Continua fruitur pace, quæ ceteris omnibus hujus mundi bonis antecellit. S. Franciscus Salesius: « Quid valet universus mundus », inquit, « si cum animi pace comparetur? [1] Et sane;

[1] Epist. 580.

quid omnes divitiæ, quid omnes hujus mundi honores prosunt ei, qui inquietus vivit nec tranquillo animo consistit?

5. Quid multa? Ut cum Jesu Christo semper conjuncti vivamus, omnia tranquillo animo peragere debemus, neque ullis adversis perturbari. *Non in commotione Dominus* (3 Reg., XIX, 11). In animo turbato Dominus non commoratur. Præclara audiamus præcepta, quæ mansuetudinis magister, S. Franciscus Salesius[1], hac de re tradidit: « Iracundiam numquam admitte, nec januam ei aperi quamcumque ob causam; si enim ingressa est, jam non est in nostra manu eam expellere vel coercere, quum volumus. Remedia autem sunt: 1. Statim eam repellere, et nullo verbo prolato, animum ad alia convertere. 2. Ad exemplum Apostolorum, quum mare procella agitatum viderent, confugere ad Deum, cujus est pacem animo afferre. 3. Quodsi percipias, iram ex imbecillitate tua in animum jam esse ingressam, conare ad tranquillitatem te revocare, ac deinde elice actus humilitatis et benevolentiæ erga

[1] *Introd.*, partie III, chap. 8.

cum, cui iratus es; sed hæc omnia suaviter et sine violentia fiant: namque plurimum interest, non exasperari vulnera». Porro confessus est S. Franciscus, desudandum sibi fuisse in superandis iræ et amoris motibus, quibus potissimum obnoxius esset: in iræ passione coercenda viginti duos annos se elaborasse (*a*); amorem autem alio se transtulisse, et omnes affectus ad Deum flexisse, relictis creaturis. Atque ita sanctus vir pacem internam adeo placidam sibi acquisivit, ut etiam extrinsecus appareret, seque sereno vultu atque ore renidenti soleret ostendere.

6. *Unde bella...? Nonne... ex concupiscentiis vestris?* (Jac., IV, 1). Si quis iracundiâ æstuat, levationem et pacem habiturus sibi videtur, quum factis vel saltem verbis iram effuderit; sed fallitur; irâ hoc modo satiatâ, multo turbatior erit. — Qui semet in continua pace servare cupit, caveat ne umquam locum det morositati. Ubi autem morositate se infestari deprehendit, eam illico expellere conetur, nec secum pernoctare sinat, sed animum alio convertat, vel librum legendo vel piam cantilenam canendo vel etiam cum amico de rebus

jucundis confabulando. Spiritus-Sanctus : *Ira*, inquit, *in sinu stulti requiescit* (Eccl., VII, 10). In animo stultorum, qui Jesum Christum parum diligunt, ira diu commoratur ; si vero in animos Jesu Christi amantes furtim irrepserit, mox expellitur, nec sedem ibi collocat. Qui Redemptorem ex animo diligit, morositati numquam obnoxius est ; nam nihil volens nisi quæ Deus velit, semper ea habet quæ vult ; eamque ob causam tranquillo semper et æquabili animo vivit. In rebus adversis divina voluntas serenitatem ei affert ; quo fit ut erga omnes et ubique mansuetudinem exerceat. Quæ tamen mansuetudo obtineri nequit sine magno erga Jesum Christum amore. Et re quidem vera ; numquam mansuetiores et benigniores erga alios sumus, quam quum tenerum erga Jesum Christum affectum experimur.

7. Sed quoniam tenero illo sensu non semper afficimur, in oratione mentali præparari debet animus ad omnes, qui accidere possunt, casus subeundos. Ita Sancti fecerunt ; et deinceps suo tempore parati fuerunt ad injurias, alapas et plagas perferendas. Eo temporis momento, quo contumeliam accipimus, nisi antea animus

jam sæpius præparatus fuerit, difficulter discernere poterimus, quæ facere oporteat, ne ab ira vincamur: tunc perturbata mens æquum putabit, audacter repelli injuste lædentis audaciam; sed, inquit S. Joannes Chrysostomus [1], iratæ responsionis *igne non potest ignis exstingui*, qui in proximi animo ardet, sed inde magis accenditur. At, inquies, rationi consentaneum non est, humane et benigne alloqui temerarium, qui sine ratione injuriis lædat. Verum, respondet S. Franciscus Salesius [2], mansuetudo adhiberi debet non solum secundum rationem, sed etiam contra rationem.

8. Blande tunc respondeamus oportet; atque ita ignis exstinguetur: *Responsio mollis frangit iram* (Prov., XV, 1). Si vero animus noster perturbatus est, tacere præstat. S. Bernardus: *Turbatus præ ira oculus*, inquit, ... *rectum non videt* [3]. Animi commotio quasi velum oculis obtendit, quo fit, ut justum ab injusto non discernatur. Quapropter S. Franciscum Salesium imitemur, qui pactum cum lingua inierat, ut, turbato animo, nihil diceret.

[1] Homilia 58, n. 5 (*In cap. 32 Genesis*). — [2] Epistola 231 (*b*). — [3] *De Consideratione*, lib. II, cap. 11.

9. Sed nonnumquam necessarium videtur, alicujus petulantiam asperis verbis reprimere. David: *Irascimini,* inquit, *et nolite peccare* (Ps. IV, 5). Interdum igitur irasci licet, dummodo sine culpa fiat. Hic autem labor. Si rem in abstracto consideremus, expedire aliquando videtur, aspere loqui vel respondere, ut aliquis resipiscat; revera tamen valde difficile est, sine culpa illud facere. Tutius ergo erit, semper lenibus verbis admonere vel responsum dare, neque umquam irasci. S. Franciscus Salesius, iracundiam numquam se admisisse fatebatur, quin postea facti eum pœniteret. Quum autem animadvertimus, irâ nos esse incensos, tacere præstat, ut supra monui, et admonitionem vel responsum in tempus magis opportunum differre, quum animus fumum emittere cessaverit.

10. Mansuetudinem præsertim exercitare debemus, quum a præpositis vel ab amicis corripimur. Vituperationem libenti animo suscipere, inquit S. Franciscus Salesius [1], monstrat, eum qui vituperatur, virtutes amare, iis culpis oppositas, in quibus reprehenditur. Unde magnum est indicium, in perfectione eum profi-

[1] *Esprit,* partie XVI, chap. 19.

cere. Præterea mansuetudinem erga nosmetipsos adhibeamus oportet. Diabolus persuadere nititur, laude dignum esse, qui post culpam commissam sibi irascatur. Sed non ita est; artificium est adversarii, qui perturbatos nos esse cupit, ne quid boni peragere possimus. S. Franciscus Salesius: « Pro certo habeto », inquit, « cogitationes, quæ perturbationem afferant, numquam provenire a Deo, qui est princeps pacis; sed vel a dæmonio vel ab amore nostri vel a bona opinione, quam de nobis habemus. Ex his tribus fontibus omnes perturbationes nostræ emanant. Quidquid ergo mentis perturbationem gignit, illico expellendum est et contemnendum » [1].

11. Tandem valde necessaria est mansuetudo, quum aliquem reprehendere debemus. Reprehensiones, quæ cum zelo amaro fiunt, sæpe noxiæ potius quam utiles sunt; præsertim quum is, qui corripi debet, turbato est animo; tunc correctione abstinendum est, donec ira ejus deferbuit. Item prætermitti debet correctio, quando nos ipsi male affecti sumus; tunc enim cum asperitate semper fiet, et qui deliquerat,

[1] Epist. 51.

correctionem ita factam, parvi faciet, utpote ex animi impetu manantem. — Atque illud ad bonum proximi spectat; quod autem ad bonum nostrum attinet, amorem nostrum erga Jesum Christum monstremus, placide et læte perferendo vexationes, injurias et contemptus.

Pii affectus et preces.

O mi Jesu, qui hominibus despicatui fuisti, o amor, o gaudium animæ meæ, contemptiones exemplo tuo tui amantibus valde amabiles reddidisti. Tibi promitto, in posterum omnes injurias me toleraturum esse amore tui, qui amore mei his in terris ab hominibus vilipendi voluisti. Tu vires mihi adde, ut propositum exsequar. Fac ut cognoscam, fac ut perficiam quidquid me facere cupis. Deus meus et omnia, aliud bonum sectari nolo præter te, qui es bonum infinitum. Tu, qui tanto studio provides bono meo, fac ut ego solum studeam tibi complacere. Fac ut nihil cogitem nisi omnem offensionem tuam devitare, teque delectare in qualibet actione. Aufer a me omnem occasionem, quæ a tuo amore me avertat. Libertatem meam depono, eamque divino tuo arbitrio totam

devoveo. Te amo, bonitas infinita, te amo, o amor mi, o Verbum incarnatum, te amo magis quam meipsum. Miserere mei, et sana vulnera, quibus anima mea propter illatas tibi injurias laborat. Tibi, o Jesu, me committo; totus tuus esse volo, amore tui omnia perpeti volo, a te non volo nisi teipsum. Virgo sancta et mea mater, Maria, te amo, tibi confido; potenti tua intercessione mihi succurre.

NOTÆ.

(*a*) Pag. 210: En quid in ejus Vita de hoc argumento referat *Le Curé de S. Sulpice (Livre VII, chap. 10, Sa Douceur): A force d'examens de conscience, continués pendant vingt-deux ans entiers, à force de vigilance, de combats et de victoires sur lui-même, à force, comme il le disait, « de prendre sa colère au collet, de la gourmander et de la fouler sous ses pieds », il vint à bout de maîtriser son humeur, jusqu'à être vraiment, comme Moïse, le plus doux des hommes de son temps.*

(*b*) Pag. 212: *Combattez vos impatiences,* inquit, *en exerçant la sainte debonnaireté et douceur, non seulement à tout propos, mais encore sans propos.*

CAPUT XIII.

Caritas non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.

Jesu Christi amantem non velle nisi ea, quæ Jesus Christus velit.

---

1. Caritas cum veritate semper conjuncta est; quare, agnoscens præter Deum non aliud vere bonum existere, ab iniquitate, quæ divinæ voluntati adversatur, abhorret, et iis tantum rebus delectatur, quas Deus velit. Inde fit, ut qui Deum diligat, parum curet, quid alii de se dicant, et solum ea peragere quærat, quæ Deo placeant. B. Henricus Suso: « Is revera in gratia est apud Deum », inquit, « qui veritati satisfacere studet, ceterum pro nihilo ducens, quomodo ab hominibus tractetur vel existimetur ».

2. Supra jam sæpius diximus, totam animæ sanctitatem et perfectionem consistere in seipsa abneganda, sequenda autem Dei volun-

tate; quod quidem hoc loco fusius explicandum est. Hoc unum ergo, si ad sanctitatem pervenire volumus, studium nostrum sit oportet, numquam nostram, sed semper Dei voluntatem sequi; nam omnium Dei præceptorum et consiliorum substantia huc recidit, ut agamus et patiamur, quæ Deus velit et quomodo Deus velit. Itaque Dominum precemur, ut nobis donet sanctam spiritûs libertatem; hæc enim libertas efficit, ut amplectamur quidquid Jesu Christo placet, quantumvis reclamitet amor proprius vel humanus respectus. Jesu Christi amor omne rerum discrimen aufert; amantibus prorsus idem est dulce et amarum, quum nihil velint eorum, quæ sibimetipsis placent, sed omne illud, quod placet Deo. Cum eâdem animi pace in magnis et in parvis negotiis se occupant, in jucundis et molestis: satis habent, Deo se placere.

3. S. Augustinus: *Ama*, inquit, *et fac quod vis* [1]. Qui Deum vere diligit, non aliud quærit, nisi quod Deo placet; nihil eum delectat, nisi Deo complacere. S. Teresia: « Qui non

[1] In epistolam Joannis ad Parthos, tract. 7, n. 8 (Vide pag. 26, not. *b*).

quærit », inquit, « nisi ut dilecto satisfaciat, iis omnibus contentus est, quæ dilecto probantur. Hæc est vis perfecti amoris, ut qui diligat, sui commodi suique oblectamenti prorsus immemor, omnes cogitationes eo dirigat, quomodo placeat dilecto, et quomodo eum per se et per alios possit honorare. Eheu, omne damnum hinc nobis provenit, quod oculos in te, Domine, defixos non habemus. Si tota mens in progrediendi curam incumberet, cito perveniremus; sed millies labimur et pedem offendimus, atque etiam de via discedimus, quod rectum iter intentis oculis non intuemur ». Huc igitur spectare debent omnes nostræ cogitationes, actiones, desideria et preces, quid Deo placeat; hæc esse debet nostra ad perfectionem via, voluntati divinæ obsequi.

4. Ab unoquoque nostrum Deus expostulat: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* (Matth., XXII, 37). Ille autem ex toto corde Jesum Christum diligit, qui sincero animo cum Apostolo ei dicit: *Domine, quid me vis facere?* (Act., IX, 6). Doce me, quid a me velis: ad omnia facienda paratus sum. Porro illud persuasum habeamus, nos, quum ea vo-

lumus quæ Deus vult, simul ea velle, quæ majori bono nobis futura sint; certo enim illud vult Deus, quod nobis melius est. S. Vincentius a Paulo: « Conformatio ad divinam voluntatem », inquit, « Christianorum thesaurus est et omnium malorum remedium; nam in se continet abnegationem sui, unionem cum Deo et omnes virtutes » [1]. Hæc igitur totius perfectionis summa est: *Domine, quid me vis facere?* Jesus Christus nobis promittit: *Et capillus de capite vestro non peribit* (Luc., XXI, 18). Quæ verba significant, Dominum nobis rependere omnem bonam ei placendi voluntatem, et omnem molestiam, quam placide et voluntatem nostram subjiciendo amplectimur. S. Teresia: « Dominus », inquit, « numquam imponit onus, quod non aliqua gratificatione rependat, dummodo patienter illud subeamus » [2].

5. Nostra autem ad divinam voluntatem conformatio debet esse integra, sine exceptione, et constans, sine retractatione. Hæc summa perfectio est; atque eo (iterum dico) spectare debent omnes actiones nostræ, omnia deside-

[1] Abelly, livre III, chap. 9. — [2] *Vita*, cap. 30.

ria, et omnes nostræ orationes. Nonnullæ animæ, orationi deditæ, quum de extasibus et raptibus legunt, quibus S. Teresia, S. Philippus Nerius aliique Sancti donabantur, ad easdem uniones supernaturales pervenire cupiunt. Talia desideria rejicienda sunt, utpote humilitati contraria; si ad sanctitatem pervenire volumus, veram cum Deo unionem desideremus oportet, seu integram voluntatis nostræ cum divina voluntate unionem. S. Teresia: « Falluntur », inquit, « qui existimant, unionem cum Deo consistere in extasibus, raptibus et gaudiis ex eo perceptis. Non in alio consistit nisi in voluntate nostra divinæ voluntati subjicienda; quæ subjectio tunc perfecta est, quum voluntas nostra, omnibus rebus libera, solius Dei voluntati adhæret, ita ut sola Dei voluntate moveatur. Hæc est vera et essentialis unio, quam semper desideravi, et assidue a Deo expostulo ». Et subjungit: « Oh quam multi nostrum ita loquimur; quam multi nihil aliud cupere nobis videmur; sed eheu! quam pauci eo pervenimus » [1]. Et re quidem verâ; multi dicimus: « Tibi, Domine, totam meam volun-

[1] *Fundat.*, cap. 5.

tatem trado; non volo, nisi quæ tu volueris ». Quum vero adversa accidunt, in divina voluntate acquiescere nescimus. Atque inde lamentamur, quod mala fortuna utimur, quod omnes ærumnæ in nos conspirant, quod vitam infelicem vivimus.

6. Si in omnibus adversis ad divinam voluntatem conformaremur, certo perveniremus ad sanctitatem, et omnium felicissimi essemus. Hæc igitur tota nostra cura sit, ut in omnibus, sive jucundis sive injucundis, voluntas nostra divinæ voluntati adhæreat. Spiritus Sanctus hortatur: *Non ventiles te in omnem ventum* (Eccli., V, 11). Quemadmodum ventorum indices secundum auræ flatum moventur; ita nonnulli homines, si prospero et desiderato fortunæ flatu utuntur, animo hilari sunt atque benigno; sin autem adverso nec prout volunt, mæsto prorsus atque moroso; quam ob causam sancti non fiunt, et vitam agunt infelicem, quum adversa multo plura nobis accidant quam prospera. S. Dorotheus, ut assiduam pacem cordisque tranquillitatem conservemus, magnum adjumentum esse ajebat, cuncta, prout eveniunt, ex Dei manibus suscipere. Unde narrat,

antiquos anachoretas numquam iratos vel tristes se præbuisse, quod omnia alacri animo ex Dei manibus susciperent. Beatus ille, qui divinæ voluntati conjunctus et deditus vivit! Nec felici rerum exitu tumescit, neque adverso abjicitur; scit enim, utrumque ex eadem Dei manu provenire. Sola Dei voluntas volendi norma ei est; quare hoc solum facit, quod Deus vult, neque aliud vult, nisi quod Deus facit. Non studet multa facere, sed perfecte efficere id, quod Deo placere cognoscat. Quare minima suæ conditionis officia anteponit maximis et honorificentissimis actionibus, quum hisce amor proprius semet immiscere possit, illis vero divina voluntas certo manifestetur.

7. Tunc igitur beati erimus, quum, quidquid Deus disponit, cum perfecta ad divinam ejus voluntatem conformatione suscipimus, nihil curantes, utrum studio nostro congruat necne. S. Mater de Chantal: « Quando demum fiet », inquit, « ut divinæ voluntatis dulcedinem gustemus, non aliud quam divinum intuentes beneplacitum, a quo certum est tam adversa quam prospera æquali amore et pro majori nostro bono dispensari? Quando demum fiet, ut aman-

tissimi Cælestis Patris brachiis nosmetipsos plane committamus, curâ nostri rerumque nostrarum ei relictâ, nobisque reservato solo desiderio placendi Deo? » De S. Vincentio a Paulo familiares dicere solebant: *Vincentius noster semper Vincentius est.* Quibus verbis significabant, eum in omni eventu sive prospero sive adverso serenum exhibuisse vultum, et semper sibi æquabilem fuisse. Quandoquidem vitam Deo prorsus deditam agens, nihil timebat, neque aliud volebat, nisi quod Deo gratum esset. S. Teresia: « Ex hac sancta suiipsius derelictione », inquit, « nascitur præclara illa spiritûs libertas, qua perfecti utuntur, et cui inhæret omnis, quæ hac in vita desiderari potest, felicitas; nihil enim timentes, et nullius rei creatæ studiosi vel cupidi, omnia possident » [1].

8. Multi e contrario sanctitatem ad suam inclinationem sibi conformant: qui indole melancholicus est, in vita solitaria eam collocat: qui operosus, in concionibus habendis et componendis litibus; qui asper ingenio est, in castigando et macerando corpore; qui liberalis,

[1] *Fundat.*, cap. 5.

in stipe pauperibus eroganda; nonnulli in recitandis multis precibus, alii in sanctuariis visitandis; atque in iis rebus totam sanctitatem suam reponunt. Opera externa velut fructus ex Jesu Christi amore gignuntur; ipse autem genuinus amor consistit in omnimoda conformatione cum divina voluntate, et, quod consequens est, in suiipsius abnegatione, et electione earum rerum, quæ Deo magis placent, idque solum, quia Deus illud meretur.

9. Sunt et alii, qui Deo servire volunt, sed in illo officio vel loco, cum illis sociis et his illisve rerum adjunctis; aliter opus vel omittunt vel inviti perficiunt. Illi autem spiritu liberi non sunt, sed sui amoris servi; quapropter etiam in iis, quæ peragunt, exigua sibi colligunt merita, atque insuper inquietam vitam ducunt: iis enim, quod suæ voluntati nimis adhæreant, Jesu Christi jugum grave evadit. Jesu Christi vere amantes solum amant, quod Jesu Christo placet, idque solum, quia placet Jesu Christo, et quando, ubi et quomodo Jesus Christus illud velit; sive eos occupari velit in negotiis honorificis sive in parvis et vilibus, sive in vita conspicua sive in abscon-

dita et neglecta. Illud sibi postulat purus Jesu Christi amor; ad illud consequendum laboremus oportet, resistendo appetentiis amoris proprii, qui in honorificis tantum operibus, vel in iis, quæ cum nostra inclinatione congruunt, nos occupari vellet. Sed quid prodest, ornatissimum, ditissimum, maximum esse in hoc mundo, sine Dei voluntate? B. Henricus Suso: « Præferrem », inquit, « ex Dei voluntate vilem hujus terræ bestiolam esse quam inter cælorum Seraphim sine ea ».

10. Jesus Christus: « Multi mihi dicent », inquit: « *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus?* » (Matth., VII, 22). Iis vero respondebit: « *Numquam novi vos; discedite a me, qui operamini iniquitatem* (Ibid., 23). Abite hinc; in discipulorum numero numquam vos habui, qui vestræ propensioni quam voluntati meæ obsequi maluistis ». Quæ verba potissimum cadunt in eos sacerdotes, qui pro aliorum salute et perfectione multum laborant, atque interim suarum imperfectionum cœno semper inhærent. Perfectio consistit: 1. in sincero suiipsius contemptu; 2. in

omnimoda appetituum mortificatione; 3. in perfecta conformatione ad divinam voluntatem. Qui deest uni ex tribus illis virtutibus, extra viam perfectionis est. Unde eximius quidam Dei servus monebat, melius nos in actionibus peragendis Dei voluntatem quam ejus gloriam intueri; nam ejus voluntatem exsequentes, simul ejus gloriæ consulimus; sed Dei gloriam nobis proponentes, haud raro fallimur, nostram sequendo voluntatem sub prætextu divinæ gloriæ. S. Franciscus Salesius: « Multi », inquit, « Domino dicunt: *Me totum, sine ulla exceptione, tibi trado.* Pauci vero hujus traditionis praxim amplectuntur. Hæc autem consistit in illa animi affectione, qua eodem prorsus modo suscipiuntur quilibet eventus, prout ex divinæ Providentiæ ordine accidunt, sive afflictationes sive solatia, sive contemptus et opprobria, sive honor et gloria » [1].

11. Itaque ex molestiis perferendis atque ex rebus injucundis et amori proprio contrariis alacri animo amplectendis cognoscitur, quis Jesum Christum revera diligat. Thomas a Kempis: *Qui non est paratus*, inquit, *omnia pati*

[1] *Entretien* 2.

et ad voluntatem stare dilecti, non est dignus amator appellari [1]. Qui contra in ærumnis divinæ voluntati placide acquiescit, inquit P. Balthasar Alvarez, quam velocissime ad Deum properat. Et S. Mater Teresia: « Numquid majorem quæstum facere poterimus, quam conscientiæ testimonium, quod Deum delectamus? » Quibus verbis ego subjungo, numquam certius nos habere testimonium, quod Deum delectemus, quam quum placide amplectimur cruces a Deo nobis impositas. Deo quidem acceptæ sunt gratiæ, quas pro beneficiis ei persolvimus; sed, inquit P. Joannes ab Avila, « pluris est, in adversis Deo semel benedicere, quam millies ei gratias agere in prosperis ».

12. Hic autem notandum superest, non solum eas molestias patienter suscipi debere, quæ directe a Deo proveniant, corporis infirmitatem, exiguum ingenium, fortuitam bonorum jacturam; sed etiam eas, quæ indirecte a Deo, directe ab hominibus inferantur, persecutiones, furta, injurias; omnes enim revera a Deo veniunt. David, despicatui habitus ab uno ex suis sub-

[1] *Imit. Chr.*, lib. III, cap. 5.

ditis, nomine Semei, qui non tantum contumeliis sed etiam lapidibus ipsum appeteret, quum alius illi temerario caput abscindere vellet: *Dimittite eum ut maledicat*, respondit; *Dominus enim præcepit ei ut malediceret David* (2 Regum, XVI, 10); id est (ut per se intelligitur): Deus illo utitur ad peccata mea castiganda, eumque mihi maledicere sinit.

13. Quare S. Maria Magdalena de Pazzis, omnes orationes nostras eo tandem referendas esse ajebat, ut a Deo gratiam obtineamus sanctam ejus voluntatem in omnibus sequendi. Nonnullæ animæ, spiritualium deliciarum avidæ, in oratione non aliud quærunt, nisi ut suavi teneroque sensu afficiantur, quo se delectent; sed animæ fortes, quæ sincere cupiunt totæ Dei esse, non aliud a Deo quærunt nisi lumen, quo ejus voluntatem cognoscant, et vires, quibus eam perfecte exsequantur. Ut ad amoris puritatem perveniamus, voluntatem nostram divinæ voluntati in omnibus subjiciamus oportet: « Noli credere », dicebat S. Franciscus Salesius, « ad puritatem, quam habere debes, te jam pervenisse, donec voluntas tua, etiam in rebus molestissimis, divinæ voluntati plene et alacriter

subjecta sit ». Namque, ut ait S. Teresia [1], « donum nostræ voluntatis Deo traditæ efficit ut Deus cum nostro nihilo se conjungat ». Ad illud autem non pervenitur nisi quis mentali orationi operam det, assiduas preces ad divinam Majestatem fundat et sincere cupiat totus esse Jesu Christi, nulla exceptione facta.

14. O cor amabilissimum divini Salvatoris, o cor, quod adeo tenero affectu nos diligis, ut hominum amore vere captum dici debeas, o cor, dignum igitur, quod nostrum omnium corda gubernes et possideas, o si hoc efficere possem, ut omnes intelligerent, quanto amore eos diligas, et quantis blanditiis eos foveas, qui omnem amorem suum tibi dederunt! O Jesu, amor mi, acceptum tibi sit donum et sacrificium, quo hodie totam meam voluntatem tibi offero. Fac ut sciam, quid me facere velis; ego enim cum gratiæ tuæ auxilio illud facere volo.

De Obedientia.

15. Quanam autem ratione cognoscere et certi esse possumus, quid Deus a nobis velit? Nihil tutius, nihil certius est quam præposi-

[1] *Via perfectionis*, cap. 33.

torum vel directorum nutum intueri. S. Vincentius a Paulo: « Divinæ voluntati numquam melius obtemperatur », inquit, « quam exsequendo Superiorum mandata ». Spiritus-Sanctus docet: *Melior est obedientia quam... victimæ* (Eccl., IV, 17). Sacrificium propriæ voluntatis, quæ semet obedientiæ subjicit, Deo magis placet, quam alia quæcumque sacrificia ei offerri possunt; nam aliis rebus, eleemosynis, jejuniis, macerationibus, nostra Deo offerimus; donando autem voluntatem, nosmetipsos ei donamus; offerentes nostra bona nostrasque mortificationes, partem damus; voluntatem dando, totum donamus. Quare quum Deo dicimus: « Per obedientiam indica mihi, Domine, quid me facere velis; ego enim omnia facere volo »; nihil, quod ei offeramus, superest.

16. Qui obedientiæ sese addixit, propriæ opinioni non amplius adhæreat necesse est. « Aliud alios sentire », inquit S. Franciscus Salesius [1], « virtuti contrarium non est; est autem virtuti contrarium, suæ sententiæ adhærere ». Sed eheu! nihil durius est quam huic

[1] *Entretien 14 (a).*

adhæsioni valedicere: atque ideo tam pauci se integros Deo tradunt, quia pauci in omnibus se subjiciunt obedientiæ. Nonnulli suæ voluntati tam pertinaciter adhærent, ut quum aliquod mandatum recipiunt, licet res ipsa eorum inclinationi congruat, hoc ipso tamen quod per obedientiam imponatur, illico cupidinem voluntatemque illius rei perficiendæ amittant: nihil enim iis libet nisi voluntatis suæ placita exsequi. Non sic agunt sancti; hi pacem non reperiunt nisi in iis operibus, quæ obedientia imposuit. S. Joanna de Chantal quadam die recreationi destinata monialibus permisit, ut illam diem pro suo cujusque arbitrio traducerent. Vespere autem omnes eam convenerunt magnopere petentes, ut talem licentiam non amplius daret, quum nulla umquam dies gravius sibi fastidium attulisset quam ea, qua solutæ fuissent obedientiæ jugo.

17. Falluntur qui existimant, quodcumque aliud opus melius esse posse quam illud quod obedientia imponat. S. Franciscus Salesius: « Relinquere negotium, cui ex obedientia vacamus », inquit, « ut oratione, lectione vel animi recollectione Deo adhæreamus, idem est ac recedere

a Deo, ut adhæreamus amori proprio »[1]. Adjungit S. Teresia, certum esse, eum qui aliquod opus, licet spirituale, contra obedientiam perficiat, instigante diabolo, non vero, ut ipse forsitan arbitretur, Deo inspirante operari; nam, inquit, « divinæ inspirationes omnes cum obedientia consentiunt ». Quare alio loco scribit: « Deus ab anima, quæ eum diligere vult, hoc unum exigit, ut obediat »[2]. P. Rodriguez pluris esse ait actionem ex obedientia factam quacumque alia. Pluris est ex obedientia stramentum attollere, quam suo arbitrio diuturnam orationem vel cruentam flagellationem peragere. Unde S. Maria Magdalena de Pazzis, negotio, ab obedientia imposito, potius quam orationi se vacare ajebat: obedientia enim (inquiebat) de divina voluntate certam me reddit; quodcumque aliud exercitium non ita. Et omnes vitæ spiritualis magistri docent, præstare ex obedientia omittere aliquod devotionis exercitium, quam illud sine obedientia peragere. Beata Virgo S. Birgittæ revelavit[3], eum qui ex obedientia mortificationem omittat, duplicem mercedem ha-

[1] *Esprit*, partie XVIII, chap. 19. — [2] *Fundat.*, cap. 5. — [3] *Revelationum* lib. IV, cap. 26.

bere; unam mortificationis, quam facere voluisset, alteram obedientiæ, ex qua illam omittat. Celeber P. Franciscus Arias, quum aliquando amicissimum sibi Venerabilem Joannem ab Avila visitaret, eumque cogitabundum et mæstum videret, rei causam sciscitatus, hoc ab eo habuit responsum: « O te beatum, qui sub obedientia vivens, certo scias, quid Deus a te velit! Me autem ecquis certum reddat, utrum Deo acceptius sit me vicos circumire ut rusticos erudiam, an potius in confessionali eos excipere, qui ultro occurrant? Qui sub obedientia vivit, securus est, ea quæ ex obedientia faciat, cum voluntate Dei congruere, immo præ ceteris Deo esse gratissima ». Quæ verba solatio sint iis omnibus, qui sub obedientia vivunt.

18. Ut autem perfecta sit obedientia, voluntate et judicio obediendum est. *Voluntate*, i. e. libenti, non coacto animo, servorum instar. *Judicio*, i. e. judicium nostrum ad Superiorum judicium conformantes, neque examinantes illud, quod imponitur vel modum, quo imponitur. Quare S. Maria Magdalena de Pazzis: « Perfecta obedientia », inquit, « animam sine ju-

dicio requirit ». Similiter S. Philippus Nerius [1], ad rite obediendum satis non esse ait, mandatum peragi, sed illud peragendum esse sine ratiocinatione, pro certo habito, rem impositam omnium, quas peragere possimus, nobis esse optimam, licet coram Deo contrarium melius esset.

19. Illa autem non solum valent pro religiosis, sed etiam pro sæcularibus, qui sub animæ moderatoris obedientia vivunt. Ab eo regulas exquirunt, quibus exercitia sua tam spiritualia quam temporalia perficiant; atque ita certi fiunt, semper illud se agere, quod melius est. S. Philippus Nerius [2]: « Qui Dei viâ progredi cupit », inquit, « docto confessario se subjiciat, eique obediat velut ipsi Deo. Ita si egerit, securus esse potest, nullam Deo actionum suarum rationem se esse redditurum ». Præterea: « Fiduciam reponat in confessario; nam Deus eum falli non sinet. Nihil securius est ad laqueos diaboli discindendos, quam alterius voluntati in bono peragendo obsequi; nec quidquam periculosius quam suis consiliis dirigi velle ». Similiter S. Franciscus Salesius,

[1] Bacci, lib. I, cap. 20. — [2] Ibid.

de directione agens moderatoris, ut quis tuto pede Dei viâ incedat: « Hoc est », inquit, « monitorum monitum: cuncta perscrutantes, ut ait pius Avila [1], numquam ita certo Dei voluntatem invenietis, quam sequendo humilem illam obedientiam, ab antiquis Dei servis tantopere commendatam et exercitatam » [2]. Idem dicunt S. Bernardus, S. Bernardinus Senensis, S. Antoninus, S. Joannes a Cruce, S. Teresia, Joannes Gerson et omnes theologi ac vitæ spiritualis magistri. Illud autem in dubium vocare, S. Joannes a Cruce ait quasi idem esse ac dubiam habere ipsam fidem: « Non acquiescere [iis, quæ confessarius dicit] », inquit, « superbia est et fidei defectus » [3]. Unde in variis S. Francisci Salesii sententiis hæ duæ reperiuntur, quæ animis scrupulosis magno solatio sunt: 1. Vere obediens numquam periit. 2. Satis est habendum, ab animæ directore certiorem se fieri, omnia recte procedere; neque enitendum est, ut nos ipsi illud percipiamus. — Multi doctores, ut Gerson, S. Anto-

[1] Joannes ab Avila, *Tract. in vers.* « *Audi, filia* », cap. 55. — [2] *Introd.*, partie I, chap. 4. — [3] *Trattato delle Spine dello spirito*, colloquio 4, § 1, n. 8 (*Opere tradotte dal P. Marco di S. Francesco*. Venezia 1747, tom. 3).

ninus, Cajetanus, Navarrus, Sanchez, Bonacina, Corduba, Castropalaus, Salmanticenses [1] et alii sentiunt, scrupulosum gravi obligatione teneri contra scrupulos agere, quando timeri potest, ne ex scrupulis grave immineat corporis vel animæ damnum, amittendi videlicet valetudinem vel mentem. Quapropter scrupuloso majorem scrupulum injicere debet, non obedire confessario quam contra scrupulos agere. — Hæc igitur (ut quæ hoc Capite diximus, concludamus) tota est salutis et perfectionis nostræ summa: 1. Negare nosmetipsos. 2. Dei voluntatem sequi. 3. Assiduas preces adhibere, ut Deus vires nobis præbeat ad utrumque exsequendum.

Pii affectus et preces.

Quid ... mihi est in cælo? et a te quid volui super terram? ... Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum (Ps. LXXII, 25 et 26). Dilectissime Redemptor, infinito amore diligende, quoniam tu de cælo descendisti, ut te integrum

[1] Tract. 20, cap. 7, n. 10 (*b*).

mihi donares, quid ego in terra et in cælis sectari velim præter te, qui summum bonum es, unicum bonum amore dignum? Tu ergo unicus esto cordis mei Dominus, tu cor meum integrum occupa. Anima mea te solum diligat, tibi soli obediat, tibi soli placere cupiat. Alii delectentur hujus mundi divitiis, ego te solum volo: tu hac in vita et in omni æternitate divitiæ meæ es erisque semper. Tibi ergo, Jesu mi, integrum cor meum trado totamque meam voluntatem. Hæc olim tibi restitit; nunc vero eam tibi totam consecro. *Domine, quid me vis facere?* (Act., IX, 6). Indica, quid a me velis, meque adjuva; ego omnia facere volo. Meipso cunctisque meis rebus utere, ut voles; nihil recuso, nihil est, in quo non acquiescam. O amor, qui infinito amore dignus es, adeo me amasti, ut pro me mori volueris; ego te amo ex toto corde, plus quam meipsum te amo, tuis manibus animam meam committo. Hodie omni mundano affectui renuntio, cunctis creatis valedico, et tibi me totum trado. Per passionis tuæ merita me accipe, meque fidelem tibi redde usque ad mortem. Mi Jesu, mi Jesu, posthac tibi soli vivere volo, nihil præter te di-

ligere, nihil sectari præter voluntatem tuam. Gratiæ tuæ auxilio me adjuva. Tu autem, o spes mea, Maria, tuo præsidio mihi succurre.

NOTÆ.

(*a*) Pag. 231: « Etre sujet à avoir des propres opinions, ou n'y être pas, est une chose qui n'est ni bonne ni mauvaise, d'autant que cela est tout naturel: chacun a des propres opinions; mais cela ne nous empêche pas de parvenir à la perfection, pourvu que nous ne nous y attachions pas, ou que nous ne les aimions pas; car c'est seulement l'amour de nos propres opinions qui est infiniment contraire à la perfection, et c'est ce que j'ai tant de fois dit, que l'amour de notre propre jugement, et l'estime que l'on en fait, est la cause qu'il y a peu de parfaits ».

(*b*) Pag. 237: Quibus verbis singuli auctores mentem suam aperiant, vide in novissima P. Leonardi Gaudé editione Theologiæ moralis S. Alphonsi, lib. I, tract. 1, cap. 1, n. 17 (Romæ, typ. Vatican. 1905, tom. I, pag. 9).

CAPUT XIV.

Caritas omnia suffert.

Jesu Christi amantem omnia pro Jesu Christo perpeti, speciatim infirmitates, paupertatem et contemptus.

1. Capite V de patientia in generali egimus; hic singillatim disseremus de nonnullis rerum conditionibus, in quibus patientiam exercere oportet. « Ne quis Christianus », inquit P. Balthasar Alvarez [1], « se aliquid profecisse existimet, si Jesu Christi dolores, paupertatem et contemptus nondum in corde suo infixa teneat, ut et ipse omnem dolorem, omnem paupertatem omnemque contemptum ex amore Jesu Christi patienter et amanter sustineat ». Incipiamus a corporis doloribus et infirmitatibus, quæ patienter tolerata, eximiam nobis meritorum coronam afferent. S. Vincentius a Paulo: « Si cognosceremus », inquit, « quam pretio-

[1] *Vita*, cap. 8.

sum thesaurum infirmitates contineant, eas cum tanto gaudio reciperemus, quanto recipi solent maxima beneficia ». Unde sanctus vir, licet assiduis obnoxius infirmitatibus, quæ eum haud raro nec interdiu nec nocte conquiescere sinerent, tanta erat et animi pace et vultus serenitate, ut numquam lamentaretur neque ullo videretur laborare incommodo. Oh quam præclarum ad virtutem incitamentum præbet infirmus, qui vultu sereno ægritudinem patitur. Qua in re S. Franciscus Salesius enituit. Quum morbo corriperetur, quid sentiret, candide exponebat medico; ei quam diligentissime obediebat, omnia quantumvis injucunda remedia sumens, quæ præscripsisset; ac deinde quieta mente consistens, de perferendis doloribus non querebatur. Quam aliter agunt nonnulli, qui vel leviculo incommodo affecti, cum omnibus conqueri numquam cessant, et a propinquis et amicis commiserantibus assidue circumsisti vellent. S. Teresia vero moniales suas hortabatur: « Discite, sorores, ex amore Dei, ceteris insciis, aliquid perpeti » [1]. Ven. Pater Ludovicus a Ponte die Parasceves a Jesu Christo

[1] *Via perfectionis*, cap. 12.

tot corporis doloribus munificatus fuit, ut nulli corporis parti suus deesset cruciatus. Quam atrociter pateretur, amico cuidam exposuit. Mox vero illud detexisse tantopere eum pœnituit, ut votum fecerit, in posterum nemini unquam, quid sustineret, se esse dicturum.

2. Dixi eum fuisse *munificatum*. Et re quidem vera; Sancti pro muneribus habent infirmitates et dolores, a Deo sibi immissos. S. Franciscus Assisiensis quodam die quum doloribus oppressus lecto recumberet, frater assistens, « Deum precare, mi Pater », inquit, « ut hanc ægritudinem mitiget, nec super te adeo aggravet manum ». Quo audito sanctus vir, lecto statim desiliens et in genua procumbens, gratias Deo pro suis doloribus agere cœpit, et ad socium conversus: « Audi », inquit, « nisi scirem, ex animi simplicitate te ita esse locutum, in conspectum meum non amplius te admitterem » [1].

3. At, dicet aliquis ægrotans: Non tam doleo quod hoc morbo afficior, quam quod ecclesiam adire non possum, ut pietatis exercitia peragam, Communionem recipiam et Missæ sa-

[1] *Vita a S. Bonaventura conscripta*, cap. 14, n. 2 (*a*).

crificio assistam; non possum in Chorum venire ad officium cum fratribus recitandum; Missam celebrare non possum, neque etiam orationi operam dare, quum caput afflictum sit atque evanidum. — Tu vero, dic quæso, cur ecclesiam vel chorum adire cupis? cur Communionem recipere et Missam celebrare vel audire? Nonne ut Deo gratum facias? Nunc autem Deo gratum non est, te officium recitare, Communionem recipere vel Missam audire, sed patienter in hoc lecto te detineri, et hujus morbi molestiam perferre. Hic autem sermo tibi non placet; ergo non studes illud facere quod placet Deo, sed quod tibimetipsi placet. Ven. P. Magister ab Avila ad sacerdotem, qui illud conquerebatur, scripsit: « Noli curare, amice, quid faceres, si bene te haberes; sed hoc tibi sufficiat, ægrotum esse, quamdiu Deus voluerit. Si Dei voluntatem quæris, quid refert, utrum sanus an ægrotus sis? » [1].

4. Dicis, te neque etiam orationi vacare posse, quum mens non satis apta sit. Esto; meditari non potes; sed cur non potes elicere actus conformationis ad divinam voluntatem?

[1] Epist., p. II, ep. 54.

Quod si feceris, dolores quibus cruciaris, amanter amplectendo, omnium pulcherrimæ orationi vacabis. Ita facere solebat S. Vincentius a Paulo; quum graviter decumberet, in divina præsentia placide se sistens, nec mentem violenter ad definitam aliquam materiam applicans, varios subinde actus elicere conabatur, modo amoris, modo fiduciæ vel gratiarum actionis, et sæpius, quum dolores ingravescerent, conformationis ad divinam voluntatem. S. Franciscus Salesius: « Tribulationes », inquit, « in seipsis consideratæ, formidolosæ sunt; sed consideratæ in divina voluntate, amores sunt et deliciæ » [1]. Orationi vacare nequis? Sed nulla præstantior est oratio quam crucifixum identidem intueri, et dolores, quos sustines, ei offerre, atque illud exiguum, quod pateris, immensis illis miscere doloribus, quos Jesus Christus in cruce perpessus est.

5. Sanctæ cuidam mulieri, quæ multis oppressa incommodis, in lecto detinebatur, una ex domesticis, crucifixi effigie in manus traditâ, suadebat, ut a Domino liberationem illius molestiæ efflagitaret. At illa: « Quomodo ego »,

[1] *De Amore Dei*, lib. IX, cap. 2.

respondit, « Deum crucifixum manibus tenens, petere possim, ut ex cruce descendam? Hoc Deus avertat. Pro eo pati volo, qui dolores multo acerbiores perpeti voluit ». Quod et ipse Jesus S. Teresiam [1] monuit, quum morbo affecta vehementer cruciaretur. Vulneribus coopertus ei apparens: « Considera, filia », inquit, « cruciatuum meorum acerbitatem; et perpende, num tui cum meis comparari possint ». Quare sancta virgo, quum valetudinis infirmitate afflictaretur, dicere solebat: « Recolens, quantum Dominus, licet omnino innocens, perpessus sit, sanæ mentis me esse non crederem, si de meis doloribus lamentarer ». S. Liduina per triginta octo annos continuis plurimisque malis laboravit, febribus, podagrâ, chiragrâ, anginâ et vulneribus per totum corpus; sed quum Jesu Christi dolores semper intueretur, semper hilaris et festiva in lecto decumbebat. S. Josephus a Leonissa, Ordinis Capuccinorum, a medico gravem incisionem subiturus, quum socii, ut in acerrimis doloribus immotus remaneret, funibus eum ligare vellent, Crucifixo manu prehenso: « Quid funes! » inquit;

[1] *Vita*, addit.

« en hic me ligat, ut ex ejus amore quemcumque dolorem toleranter subeam ». Atque ita incisionem tacitus pertulit. S. Jonas Martyr, quum tyranni jussu per totam noctem glaciei immersus fuisset, postero mane numquam tranquilliorem noctem se transegisse dixit. Jesum enim, in cruce pendentem, ante oculos sibi constituerat; atque ita suos dolores, cum Jesu Christi doloribus comparatos, delicias potius quam cruciatus judicaverat.

6. Oh quot merita acquiri possunt hoc solum, quod infirmitates cum patientia tolerantur! P. Balthasar Alvarez quodam die magnam gloriam aspexit, piæ cuidam religiosæ a Deo præparatam ob ægrotationem patientissime toleratam; eamque dicebat, octo illis mensibus, quibus ægrota fuisset, plura sibi comparasse merita quam aliæ piæ moniales plurium annorum spatio sibi comparassent. Infirmitatum doloribus patienter toleratis magna, ne dicam maxima, pars conficitur coronæ, quam Deus nobis præparat in paradiso. Quod quidem revelatum fuit S. Liduinæ. Tot acerbissimas infirmitates (ut supra dictum est) perpessa, martyrium pro Jesu Christo subire cu-

piebat. Quodam autem die, illud martyrium anhelans, pulchram vidit, sed eam nondum absolutam coronam, quam sibi præparari cognovit; quare, eam absolvi cupiens, Dominum precata est, ut dolores sibi augeret. Quam precationem Deus exaudiens, nonnullos ei misit milites, qui non solum injuriis, sed etiam fustibus graviter eam læserunt. Deinde apparuit Angelus, absolutam ei monstrans coronam, nuntiavitque, cruciatus nuper illatos ultimas ei inseruisse gemmas; nec multo post, spiritum Deo reddidit.

7. Ah, Jesum Christum ardenter amantibus admodum accepta et suavia sunt dolores et opprobria! Eamque ob causam sancti Martyres equuleis, uncis ferreis, candentibus laminis atque securibus tam alacres obviam properabant. S. Procopius martyr, quum a tyranno cruciaretur: « Crucia quantum libet », inquit; « scito tamen, Jesu Christi amantibus nihil carius esse quam pro ejus amore cruciari ». Similiter S. Gordianus, item martyr, quum tyrannus mortem minaretur: « Tu mortem minitaris », inquit; « ego vero hoc doleo, me semel tantum pro Jesu Christo mori posse ».

Sed, quæro, illi sancti nonne ita loquebantur, quod vel sensu doloris carerent vel mentis stupore opprimerentur? Minime vero, respondet S. Bernardus: *Neque hoc facit stupor, sed amor* [1]. Non erant stupidi, et cruciatuum dolorem sentiebant; sed quod Deum diligerent, multum sibi expedire putabant, pro Dei amore omnia perpeti et omnia, atque ipsam vitam amittere.

8. Quum adversa valetudine afficimur, tunc præsertim parati simus oportet ad accipiendam mortem, et eam quidem, quæ Deo placuerit. Semel moriendum est, et ultimo morbo vita nostra finiri debet; nos autem nescimus, quisnam morbus ultimus nobis futurus sit. Quapropter quoties morbo laboramus, animus præparandus est ad præfinitam nobis a Deo mortem amplectendam. « At », dicet aliquis ægrotus, « multum peccavi, neque ullam egi pœnitentiam. Vivere cupio, non ut vivam, sed ut Deo, antequam moriar, aliquantulum satisfaciam ». Dic vero, frater, scisne te, si vita protracta fuerit, acturum esse pœnitentiam, nec pejus quam antea esse facturum? Nunc sperare licet, Deum tibi igno-

[1] *In Cant.*, sermo 61.

visse; quænam præstantior esse potest pœnitentia quam mortem toleranter accipere, si Deo ita visum fuerit? Quod secum reputans S. Aloisius Gonzaga, quum adolescens viginti trium annorum e vita excederet, mortem alacer amplexus est. « Nunc », dicebat, « in statu gratiæ me esse spero; quid postea futurum sit, nescio; quare morior contentus, si nunc ad alteram vitam me vocare Deo placeat ». Existimabat P. Joannes ab Avila, unumquemque, si animo bene, licet mediocriter, dispositus sit, mortem expetere debere, ut eripiatur peccandi et Dei gratiam amittendi periculo, quod nobis hac in vita assidue imminet.

9. Præterea pro naturæ nostræ fragilitate vivere non possumus, quin venialia saltem peccata committamus. Quapropter hac saltem ratione, ne Deum ultra offendamus, mortem alacres amplectamur oportet. Insuper, si Deum vere diligimus, ardenter cupere debemus, in paradiso eum videre et totis viribus diligere, id quod hac in vita nemini plene contingit; sed nisi mors januam nobis aperiat, in beatam illam amoris patriam ingredi non possumus. Quare S. Augustinus, flagrans ille Dei amator, excla

mabat: *Eja, Domine, moriar, ut te videam!* [1]. Nisi enim moriar, facie ad faciem te videre et amare nequeo.

10. Deinde exercitanda est patientia in toleranda paupertate. Magna profecto patientia opus est, quum fortunæ deficiunt. S. Augustinus: « Qui Deum non habet », inquit, « nihil habet; habet omnia, qui Deum habet » [2]. Qui Deum possidet, et cum divina voluntate conjunctus vivit, in Deo omne bonum reperit. S. Franciscus nudis pedibus incedat, sacco indutus sit, omnibus rebus indigeat; quum autem dicit: *Deus meus et omnia*, cunctis hujus mundi regibus ditior est. Pauper dicitur is, qui bona, quæ non habet, appetit; qui vero nihil appetit suaque paupertate contentus vivit, omnino dives est. De iis S. Paulus: *Nihil habentes*, inquit, *et omnia possidentes* (2 Cor., VI, 10). Dei vere amantes nihil habent, et habent omnia; quum enim desunt bona temporalia, dicunt: *Jesu mi, tu solus mihi satis es;* atque ita contenti sunt. Sancti non solum patienter tulerunt paupertatem; sed etiam cunctis rebus se exuere voluerunt, ut omni

[1] *Soliloquiorum animæ ad Deum liber unus*, cap. 1 (In Appendice). — [2] Sermo 85 (al. de tempore 205), cap. 3 (*b*).

terreno affectu soluti, uni Deo conjuncti viverent. Si non sumus ita animo affecti, ut omnia hujus mundi bona abjiciamus, ea saltem conditione contenti simus, in qua Deus nos posuit; neque solliciti simus de terrenis, sed de cælestibus divitiis, quæ infinite majores atque æternæ sunt. Illud igitur S. Teresiæ persuasissimum habeamus: « Quo minor hic bonorum copia, eo major illic gaudiorum ubertas » [1].

11. S. Bonaventura temporalium bonorum abundantiam ajebat viscum quoddam esse, animam impediens, ne ad Deum evolet. Atque e contrario S. Joannes Climacus paupertatem viam dicebat, qua sine impedimento ad Deum properetur [2]. Dominus: *Beati pauperes spiritu*, inquit, *quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (Matth., V, 3). Ceteris beatis, ut mitibus vel mundis corde, cælum postea donandum promittitur; pauperibus vero promittitur cælum, id est, cæleste gaudium, etiam hac in vita possidendum: *ipsorum est regnum cœlorum:* pauperibus enim etiam hac in vita anticipatur paradisi gaudium. *Pauperes spiritu*, i. e. ii, qui-

[1] *Liber fundationum*, cap. 14. — [2] *Scala Paradisi*, gradus 17 (*c*).

bus non solum desunt bona temporalia, sed qui ea etiam non appetunt, et huic Apostoli monito obtemperant: *Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti sumus* (1 Tim.,VI, 8). S. Laurentius Justinianus: *O beata paupertas*, exclamat, *nihil in hoc sæculo possidens, nihil formidans!... Semper hilaris, semper abundans est;... omne incommodum suo facit profectui deservire* [1]. Et S. Bernardus: *Avarus terrena esurit ut mendicus* (numquam enim bonis, quæ appetit, satiatur); *fidelis* (paupertatis amans) *contemnit ut dominus* (quum nihil omnino appetat) [2].

12. B. Angelæ Fulginati Jesus Christus quondam dixit: « Si paupertas non esset magnum bonum, ego eam nec mihi elegissem, neque addixissem electis meis ». Et re quidem vera; Sancti paupertatem ideo in deliciis habuerunt, quod Jesum pauperem fuisse cernerent. Divitiarum cupiditatem S. Paulus diaboli laqueum vocat, quo plures homines in perniciem traxit: *Qui volunt divites fieri, incidunt... in laqueum diaboli et desideria... nociva, quæ mergunt ho-*

[1] *De disciplina et perfectione monasticæ conversationis*, cap. 2. — [2] *In Cant.*, sermo 21.

mines in interitum et perditionem (1 Tim., VI, 9). Infelices, qui propter misera hujus mundi bona Deum, infinitum bonum, amittant! Sapienter ergo S. Basilius Martyr, quum Imperator Licinius significasset, se sacerdotum suorum principem eum esse constituturum, si Jesu Christo renuntiaret: « Imperatori dices », respondit, « etiamsi totum regnum mihi dare vellet; eum non posse tantum mihi dare, quantum auferret, si Deum mihi eriperet ». Itaque Deus nobis sufficiat, atque ea sufficiant bona, quæ nobis donat; et quum desunt, quæ habere volumus, paupertate gaudeamus; in hoc enim meritum consistit. Multi quidem inopia laborant, sed quum inopiam suam non ament, meritum non acquirunt; quare S. Bernardus: *Non paupertas virtus reputatur*, inquit, *sed paupertatis amor* [1].

13. Quem paupertatis amorem ii potissimum habere debent, qui religionem ingressi, votum paupertatis emiserunt. Multi religiosi, inquit S. Bernardus, *pauperes esse volunt, eo tamen pacto, ut nihil eis desit* [2]. Id est, inquit S. Franciscus Salesius, volunt paupertatis honorem, in-

[1] Epistola 100. — [2] *In Adventu Domini*, sermo 4.

commoda paupertatis nolunt [1]. In eos cadit illud Beatæ Salomæ, Ord. S. Claræ: « Angelis et hominibus derisui erit religiosa, quæ, quum pauper esse velit, lamentatur, ubi aliquid deest ». Non ita agunt bonæ religiosæ; sed pro omnibus divitiis paupertatem suam diligunt. Imperatoris Maximiliani II filia, quæ S. Claræ Ordinem monialium discalceatarum ingressa, Soror Margarita a Cruce dicebatur, quum aliquando fratrem suum Albertum archiducem resartâ tunicâ induta adiisset; is autem miratus dixisset, illud nobili ejus genere non esse dignum: « Frater », respondit, « attritâ hac veste ego magis contenta sum quam purpurâ suâ omnes reges ». S. Maria Magdalena de Pazzis: « O fortunatos religiosos », inquit, « qui sanctæ paupertatis ope omni terreno affectu expediti, dicere possint: *Dominus pars hereditatis meæ* (Ps. XV, 5). Tu, mi Deus, portio mea et unicum meum bonum ». S. Teresia mercatori, a quo eleemosynas sæpius accepisset, nuntiavit, nomen ejus in libro vitæ esse scriptum, et in ejus rei argumentum bona terrena ei ablatum iri; et revera

[1] *Introd.*, partie III, chap. 16 *fin.*

mercator, dilapsa fortuna, ad mortem usque in egestate vixit. Affirmabat S. Aloisius Gonzaga, nihil melius demonstrare, aliquem esse in numero electorum, quam si cum Dei timore vivat ac simul ærumnis et mœrore in hoc mundo afficiatur.

14. Ad sanctam paupertatem quodammodo etiam pertinet, propinquis et amicis hac in vita orbari; qua in re multum quoque exercitanda est patientia. Nonnulli, amisso propinquo vel amico, mente ita perturbantur, ut lacrimabundi in cubiculo abditi et mœstitiæ se dedentes, omnem abrumpant patientiam planeque intractabiles fiant. Ex quibus sciscitari vellem, cuinam, tantopere mœrendo et tam immoderate lacrimando, gratum facere putent? Deo? Minime; Deus enim vult, in sua voluntate nos acquiescere. An forte defunctorum animis? Neque illis. Si enim damnatæ sint, teipsum et lacrimas tuas odio habent. Si salvatæ et in cœlum jam admissæ, cupiunt, suo nomine te Deo gratias agere. Si in purgatorio detineantur, hoc exoptant, ut precibus tuis opem ipsis feras, tu ipse divinæ voluntati acquiescas, et ad sanctitatem pervenias, ut socium aliquando in paradiso te habeant.

Quid ergo prodest tam effuse lacrimari? Ven. P. Josephus Caracciolo Theatinus, uno ex fratribus suis mortuo, quum ceteri propinqui lacrimari non cessarent: « Eja », inquit, « meliori causæ lacrimas servemus; mortem lugeamus Jesu Christi, qui pater, frater et sponsus nobis fuit, nostrique amore mortuus est ». Tunc imitemur beatum Job, qui edoctus, filios sibi esse occisos, in divina voluntate omnino acquiescens: « *Dominus dedit* mihi filios », inquit, « *Dominus* eos *abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est;* mihi quoque ita placet; *sit nomen Domini* semper *benedictum* (Job, I, 21).

15. Tandem patientiam exercitare et Deo amorem nostrum ostendere debemus placide perferendo contemptiones ab hominibus illatas. Quando anima se totam Deo tradit, ipse Deus efficit seu permittit, ut vilipendatur et vexetur ab hominibus. Quodam die Angelus B. Henrico Susoni apparens: « Hactenus, Henrice », inquit, « arbitrio tuo mortificationes elegisti; deinceps aliorum arbitratu mortificaberis ». Postridie beatus vir per fenestram prospiciens, vidit canem ore suo prorsus lacerare panniculum, et hanc vocem audivit: « Sic et tu hominum

ore laceraberis ». Quare statim descendit, sibique tulit panniculum, quem ad prædictorum cruciatuum tempus in solatium asservaret.

16. Opprobria atque dedecora Sanctis deliciæ exoptatæ sunt et conquisitæ. Romæ S. Philippus Nerius a dilectis suis filiis, qui novum Oratorium ecclesiæ recenter a se fundatæ incolebant, invitatus, domum S. Hieronymi, donec expresso summi Pontificis jussu ad commigrandum esset obstrictus, ideo relinquere noluit, quia ibi a triginta annis plurima a nonnullis pateretur. S. Joannes a Cruce, quum propter infirmitatem, ex qua deinde mortuus est, cælum mutare deberet, posthabito commodiori monasterio, cujus præpositum sibi benevolum cognosceret, pauperem elegit domum, cui præsidebat infensus Prior, qui diu et fere ad ejus mortem usque despicatui eum habuit multisque modis injuriosius tractavit, et ceteros etiam religiosos prohibuit, ne eum visitarent. En igitur, vel eo progrediuntur Sancti, ut contemptiones sibi conquirant! S. Teresia hanc memorandam reliquit sententiam: « Qui ad perfectionem nititur, numquam dicat: « Sine ratione hoc mihi fecerunt ». Si illam tantummodo crucem portare vis, quæ

ratione innitatur, ad perfectionem natus non es ». S. Petrus Martyr, quum quereretur, nullo delicto commisso, in carcerem se esse conjectum, hoc præclarum a Jesu Crucifixo responsum habuit: « Et ego, quid commiseram, qui pro hominibus huic cruci affigi, et mori debuerim? » Ignominiæ, quas Jesus Christus pro nobis sustinuit, oh quantum solatii afferunt Sanctis, quum injurias subeunt! S. Eleazarus, ab uxore interrogatus, quomodo tam patienter sustineret tot injurias, ab ipsis etiam famulis illatas: « Mecum considero », respondit, « Jesum despicatui habitum, et video, quas patior contumelias comparari non posse cum iis, quas ille pro me perpessus est; atque ita Deus me corroborat, ut placide omnia perferam ». Quid multa? Injuriæ, paupertas, dolores et omnes ærumnæ, quum incidunt in animam, quæ Deum non diligit, occasiones ei sunt longius a Deo discedendi; quum vero incidunt in animam Dei amantem, incitamenta sunt ad arctius adhærendum Deo eumque magis diligendum. *Aquæ multæ non potuerunt exstinguere caritatem* (Cant., VIII. 7). Ærumnæ, quantumvis multæ et graves, non solum non exstinguunt, sed etiam magis excitant

caritatis flammas in corde, quod præter Deum nihil diligit.

17. Cur autem Deus tot crucibus nos onerat? Cur gaudet, nos cruciari et ab hominibus despici, vexari injuriosiusque tractari? Numquid tyrannus est et tam crudelis naturæ, ut nos molestiis affici delectetur? Minime vero; non est tyrannus Deus nec diræ indolis; plenus est benevolentiæ et amoris, ut satis superque monstravit, quum nostri amore mortuus est. Gaudet quidem, quum molestiis afficimur, sed quia nobis prodest, ut hic patiendo liberemur a pœnis alterius vitæ propter debita erga divinam justitiam contracta. Gaudet, ne hujus terræ oblectationibus adhæreamus, quemadmodum et mater, quum filium ablactari cupit, pectus felle adspergit, ut filio in tædium veniat. Gaudet, ut nos patienter et placide adversa subeundo, amorem nostrum comprobemus. Gaudet denique, ut patiendo majorem gloriam in paradiso acquiramus. Illas ob causas, quæ omnes benevolentiæ et amoris plenæ sunt, Dominus gaudet, molestiis nos affici.

18. Hoc caput concludamus. Ut sanctam patientiam in omnibus ærumnis rite exercea-

mus, persuasum nobis sit, singulas vel directe vel indirecte, i. e. hominum operâ, ex Dei manibus venire. Deo igitur pro rebus adversis gratias agere debemus, et alacri animo suscipere quidquid statuerit, sive prosperum sive adversum, quum omnia ad bonum nostrum disponat. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (Rom., VIII, 28). Præterea, quum aliquâ molestiâ conflictamur, expedit, pœnas inferni olim a nobis promeritas recordari; nam quælibet ærumna cum inferno comparata, longe minor est. Sed ad patienter tolerandum omnem dolorem, omne opprobrium et omne malum, plus quam consideratio mentis valet precatio: divinum auxilium, quod precationis ope conceditur, vires, quæ nobis desunt, suppeditabit. Illud quidem Sancti fecerunt: ad Deum confugientes, omnia tormenta omnesque persecutiones superarunt.

Pii affectus et preces.

Persuasum habeo, Domine, me sine ærumnis patienter toleratis, paradisi coronam non posse acquirere. Cum Davide dico: *Ab ipso patientia mea* (Ps. LXI, 6); patientiam in ærumnis a

te exspecto. Equidem mihi propono omnes molestias cum pace suscipere; quum vero accidunt, statim contristor et animum despondeo; patior sine merito et sine amore, quia nescio eas pati ut tibi complaceam. Ah, mi Jesu, per merita illius patientiæ, qua tot cruciatus mei amore pertulisti, da mihi gratiam amore tui cruces perferendi. Ex toto corde te amo, carissime Redemptor, te amo, summum bonum, te amo, amor mi, qui infinito amore dignus es. Præ alio quolibet malo doleo, quod tibi displicui. Tibi promitto, patienter me susceptorum esse omnes, quas mihi imposueris, molestias; a te autem exspecto auxilium, ut promissa exsolvam et speciatim agoniæ ac mortis dolores placide perferam. Regina mea, Maria, impetra mihi, ut sincere acquiescam in omnibus ærumnis, quæ mihi in vita et in morte tolerandæ supersunt.

NOTÆ.

(*a*) Pag. 242: En ipsa S. Bonaventuræ verba: « Ut autem viro Dei cumulus meritorum accresceret, quæ omnia vere in patientia consummantur, cœpit infirmitatibus multimodis laborare tam graviter, ut vix in eo membrum aliquod remaneret absque ingenti passionis dolore. Ad hoc tandem per varias et diuturnas ac continuas ægritudines deductus est, ut consumptis jam carnibus, quasi sola cutis ossibus cohæreret. Quumque duris corporis angeretur doloribus, illas suas angustias non pœnarum censebat nomine, sed sororum. Quum autem semel gravius solito dolorum urgeretur aculeis, quidam frater simplex dixit ad eum: « Frater, ora Dominum, ut mitius tecum agat; manum enim suam plus debito super te gravare videtur ». Quo audito vir sanctus cum ejulatu exclamans ait: « Nisi noscerem in te simplicem puritatem, tuum ex nunc abhorrerem consortium, qui ausus fueris circa me divina judicia reprehensibilia judicare ». Et licet totus esset attritus gravis prolixitate languoris, projiciens se in terram ossa debilia duro casu collisit, et deosculans humum: « Gratias », inquit, « tibi ago, Domine Deus, de omnibus his doloribus meis, teque, mi Domine, rogo, ut centuplum, si tibi placuerit, addas, quia hoc erit mihi acceptissimum, ut affligens me dolore non parcas, quum tuæ sanctæ voluntatis adimpletio sit mihi conso-

lætio superplena ». Videbatur propterea fratribus, quod quasi alterum Job viderent, cui quum languor cresceret carnis, crescebat simul et vigor mentis ».

(*b*) Pag. 250: En ipsa ejus verba: *Quid habet dives, si Deum non habet? Quid non habet pauper, si Deum habet?*

(*c*) Pag. 251: *Religiosa paupertas*, inquit, *est... viatrix expedita.*

(*d*) Pag. 254: « Ne vous plaignez donc pas, ma chère Philotée, de votre pauvreté; car on ne se plaint que de ce qui déplait, et si la pauvreté vous déplait, vous n'êtes plus pauvre d'esprit, mais riche d'affection. Ne vous désolez point de n'être pas si bien secourue qu'il serait requis; car en cela consiste l'excellence de la pauvreté. Vouloir être pauvre, et n'en recevoir point d'incommodité, c'est une trop grande ambition; car c'est vouloir l'honneur de la pauvreté et la commodité des richesses ».

CAPUT XV.

Caritas omnia credit.

Jesu Christi amantem omnibus ejus dictis credere.

1. Si quis diligit, fidem adjungit omnibus, quæ dilectus dicat; unde quo major est hominis erga Jesum Christum amor, eo firmior et vividior est ejus fides. Bonus latro, quum Redemptorem nostrum, quamvis nihil mali fecisset, in cruce mori et omnia cum summa patientia perferre videret, eum diligere cœpit; quo amore captus, et divina luce illustratus, eum revera Dei filium esse credidit, eumque precatus est, ut sui recordaretur, quum in regnum venisset.

2. Fides fundamentum est, qua caritas innititur; caritatis autem est, fidem perficere. Qui Deum diligit perfectius, perfectius credit. Caritas efficit, ut homo non solum intellectu, sed etiam voluntate credat. Qui solo intellectu,

non autem voluntate credunt, cujusmodi sunt peccatores, qui fidei veritatem agnoscunt, sed juxta divina præcepta vivere nolunt, fidem valde debilem habent. Si enim vivida fide crederent, divinam gratiam omne aliud bonum superare, et peccatum, quum divinam gratiam nobis auferat, superare omne aliud malum, mores sine dubio mutarent. Si ergo misera hujus terræ bona Deo præferunt, vel non credunt, vel admodum languide credunt. Qui vero non solo intellectu credit, sed etiam voluntate, quo fit, ut non tantum credat, sed etiam Deo revelanti credere velit, quia eum diligat, suaque fide delectetur; is perfectam fidem habet, et hoc ipso vitam suam ad creditas veritates conformare studet.

3. Verumtamen defectus fidei in iis, qui in peccato vivunt, non oritur ex fidei obscuritate. Licet enim Deus voluerit, fidei objecta nobis obscura esse atque arcana, ut credendo meritum acquireremus; ipsa tamen fidei veritas tam claris argumentis et signis nobis lucet, ut fidem ei non adjungere, non solum imprudentis esset, sed impii et insanientis. Itaque multorum fidei infirmitas ex morum pra-

vitate oritur. Qui divinam amicitiam spernit, ne illicitis oblectamentis privetur, vellet nec legem prohibentem nec pœnam peccanti constitutam existere; quare oculos avertere conatur ab æternis veritatibus, a morte, judicio, inferno et divina justitia. Et quia hæc omnia nimium terrorem injiciunt et oblectamenta velut felle adspergunt, aciem ingenii acuere incipit, ut rationes saltem probabiles inveniat, quibus sibi persuadere vel sperare possit, neque animam, nec Deum neque infernum existere, ut vivere et mori liceat pecudum more, quæ nec lege nec ratione utuntur.

4. Ex eodem fonte, morum nempe corruptela, emanarunt et quotidie emanant tot libri ac systemata, quæ materialismum, indifferentismum, pravam politicam, deismum ac naturalismum profitentur; quorum alia Dei existentiam negant, alia divinam Providentiam, quum doceant, Deum post hominis creationem non amplius ejus curam habere, et prorsus negligere, utrum ipsum diligat an offendat, salvetur an pereat; alia divinam bonitatem, quum dicant, Deum multas animas inferno creasse, easque ad peccandum impellere, ut damnen-

tur, et in ignem æternum conjectæ in perpetuum ipsi maledicant.

5. O ingratos et perversos hominum animos! Deus, misericordia sua motus, eos creavit, ut in cælo æterna felicitate fruantur; illustrationibus, beneficiis gratiisque eos cumulavit, ut vitam æternam consequerentur; eumdem in finem tot doloribus et tanto cum amore eos redemit; illi vero nihil credere nituntur, ut suo arbitratu vitiis indulgeant! Verum, quantumvis adnitantur, miseri numquam executere poterunt malæ conscientiæ angorem et divinæ ultionis formidinem. Nuper de illa materia opus divulgavi, *de Fidei Veritate* inscriptum, in quo omnia recentium incredulorum systemata prorsus inepta esse, aperte demonstravi. Oh si vitiis abstinerent, et Jesum Christum diligere niterentur, certo fidei articulos non amplius in dubium vocarent, et omnes a Deo revelatas veritates firmiter crederent!

6. Qui Jesum Christum ex animo diligit, æternæ veritatis sententias semper ob oculos habet, et ad earum normam actiones suas dirigit. Qui Jesum Christum diligit, oh quam bene intelligit illud Sapientis: *Vanitas vanitatum, et*

omnia vanitas (Eccl., I, 2); omnia videlicet terrena fastigia fumum esse, lutum et fallaciam; unicum animæ bonum et felicitatem in amando Creatore et ejus voluntate exsequenda consistere; tanti nos esse quanti coram Deo simus; nihil prodesse mundum universum lucrari, si anima pereat; universa hujus mundi bona cor hominis explere non posse, sed Deum solum illud satiare; uno verbo, omnia dimittenda esse, ut omnia acquirantur.

7. *Caritas omnia credit.* Alii nonnulli Christiani non tam perversi sunt quam illi, quos supra commemoravimus, qui nempe nihil credere vellent, quo liberius et sine conscientiæ morsu vitiis indulgerent. Credunt illi quidem, sed fide languida; admittunt sacrosancta mysteria, revelatas in Evangeliis veritates, Trinitatem, Redemptionem, Sacramenta et alias; sed non omnes veritates admittunt. Jesus Christus beatos dixit pauperes, eos qui calamitatibus vexantur, qui mortificant seipsos, eos quos mundus persequitur, quorum famam dilacerat et quibus maledicit: *Beati pauperes* (Luc., VI, 20); *beati qui lugent; beati qui esuriunt; beati qui persecutionem patiuntur; beati estis,*

quum maledixerint vobis, . . . et dixerint omne malum adversum vos (Matth., V, 5-11). Ita Jesus Christus in Evangeliis loquitur. Quomodo ergo dici potest, eos Evangeliis credere, qui dicant: Beatus, qui pecuniis abundat; beatus, qui nihil patitur; beatus, qui oblectamentis fruitur; miser, qui ab aliis vexatur et injuriosius tractatur? Illi dicendi sunt aut Evangeliis non credere, aut iis credere ex parte. Qui ex toto iis credit, bonam fortunam et divinum favorem existimat, pauperem esse in hoc mundo, morbo laborare, molesta sustinere, contemni et dure tractari ab hominibus. Ita credit, atque ita loquitur, qui omnibus Evangeliorum dictis fidem adjungit, et Jesum Christum vere diligit.

Pii affectus et preces.

Amate Redemptor, oh vita animæ meæ, credo te unicum esse bonum amore dignum. Credo te unum omnium esse animæ meæ amantissimum; nam solo amore ductus eo progressus es, ut doloribus consumptus mei amore mortuus sis. Credo, in hac et in altera vita nihil esse fortunatius quam te diligere et tuam

exsequi voluntatem. Haec omnia firmiter credo, eamque ob causam omnibus renuntio, ut totus tuus sim nec quidquam praeter te possideam. Per passionis tuae merita mihi succurre, neque eum redde, quem me esse velis. Veritas infallibilis, tibi credo; infinita misericordia, tibi confido; bonitas infinita, te amo; amor infinite, qui in passione et in sacramento Altaris te mihi totum donasti, me totum tibi dono. Et tibi me commendo, o peccatorum refugium et mater Dei, Maria.

CAPUT XVI.

Caritas omnia sperat.

Jesu Christi amantem a Jesu Christo omnia sperare.

1. Spes adauget caritatem; caritas adauget spem. Fiducia in divina bonitate amori erga Jesum Christum sine ulla dubitatione incrementum affert. S. Thomas: *Ex hoc enim*, inquit, *quod per aliquem speramus nobis posse provenire bona, movemur in ipsum sicut in bonum nostrum, et sic incipimus ipsum amare*[1]. Inde est, cur Dominus prohibeat, ne in creaturis fiduciam reponamus: *nolite confidere in principibus* (Ps. CXLV, 2); et maledicat ei, qui in homine fiduciam suam collocet: *maledictus homo, qui confidit in homine* (Jerem., XVII, 5). Non vult, nos in creaturis fiduciam reponere, quia non vult, in eas amorem nostrum nos conferre. Quare S. Vincentius a Paulo: « Ne hominum præsidio multum inni-

[1] 1. 2., qu. 40, art. 7.

tamur », inquit ; « Dominus enim, quum nos iis inniti cernit, semet subtrahit. Quo magis autem Deo confidimus, eo magis progredimur in ejus amore ». *Viam mandatorum tuorum cucurri, quum dilatasti cor meum* (Ps. CXVIII, 32). Oh quam celeri gradu viam perfectionis percurrit, qui Dei fiduciâ cor dilatatum habet! Non solum currit, sed volat ; quum enim omnem fiduciam in Domino reposuerit, infirmus esse desinet, et fortis erit Dei fortitudine, cujus participes fiunt omnes, qui in Deo confidunt : *Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient* (Is., XL, 31). Sicut aquila sublime evolans ad solem magis appropinquat ; ita anima, quæ fiduciâ corroboratur, a rebus terrenis divellitur, et amore arctius conjungitur Deo.

2. Porro sicut spes ad caritatem erga Deum augendam conducit ; ita et caritas auget spem ; quia caritas filios Dei adoptivos nos efficit. Ordine naturæ nos quidem ejus manuum opera sumus ; sed ordine supernaturali per Jesu Christi merita facti sumus filii Dei et divinæ na-

turæ particeps, ut ait S. Petrus: *Ut... efficiamini divinæ consortes naturæ* (2 Petr., I, 4). Quodsi caritas nos elicit filios Dei, item nos reddit paradisi heredes, ut loquitur S. Paulus: *Si autem filii, et heredes* (Rom., VIII, 17). Filiorum est, in domo patris habitare; heredum est, adire hereditatem; quapropter caritas spem paradisi auget. Quo fit, ut animæ amantes numquam cessent ad Deum clamare: *Adveniat, adveniat regnum tuum!*

3. Præterea, diligentes se Deus diligit: *Ego diligentes me diligo* (Prov., VIII, 17); et cum amore se quærentes gratiis suis copiose afficit: *Bonus est Dominus... animæ quærenti illum* (Thren., III, 25). Consequens est, ut qui Deum magis diligat, majorem spem in ejus bonitate reponat. Ex qua fiducia in Sanctis oritur inconcussa illa tranquillitas, quæ gaudio et pace, etiam in mediis ærumnis, eos perfundit; quoniam Jesum Christum diligentes, neque ignari, quam liberaliter iis, qui ipsum diligant, dona sua largiatur, ei soli confidunt, et requiem inveniunt. Hinc est, cur sacra Sponsa deliciis abundaret: nihil præter suum Dilectum amans, illo tantum nitebatur; et sciens, quam gratus

sit ipsum amantibus, gaudio affluebat; quare de ea dicitur: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* (Cant., VIII, 5). Verissimum illud Sapientis: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa* (Sap., VII, 11). Una cum caritate omne bonum animæ obvenit.

4. Primarium spei Christianæ objectum Deus est, quo anima in regno beato fruitur. Ne autem credamus, spem Deo in paradiso fruendi impedimento esse caritati; nam spes paradisi inseparabiliter adnexa est caritati, quæ in paradiso perficitur et ultimum suum consequitur complementum. Caritas, ut ait Sapiens, est infinitus ille thesaurus, qui nos Dei amicos reddit: *Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei* (Sap., VII, 14). Amicitiæ autem fundamentum, inquit S. Thomas, bonorum communicatio est; quum enim amicitia nihil aliud sit quam mutuus amicorum amor, necesse est, eos inter se, quantum quemque deceat, alterum alteri benefacere; quapropter, si nulla esset communicatio, nulla esset amicitia: *Amicitia super amorem addit mutuam redamatio-*

nem cum quadam communicatione mutua [1]. Quare Jesus Christus discipulis suis dicebat: *Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis* (Joan., XV, 15). Quum eos in amicitiam suam recepisset, omnia secreta sua iis aperuerat.

5. S. Franciscus Salesius: « Si existeret », inquit, « infinita quædam bonitas », aliquis videlicet Deus, « ad quam (quamquam illud fieri non potest) nullo modo pertineremus, et quacum nullam unionem vel communicationem possemus habere, certo eam pluris quam nosmetipsos æstimaremus; unde exoptare possemus, ut eam amare nobis liceret, sed eam non amaremus, quia amor ad unionem spectat; et multo minus caritatem erga eam habere possemus, quia caritas amicitia est; amicitia autem mutua esse debet, ejusque fundamentum communicatio est, ejusque finis unio » [2]. Quocirca S. Thomas docet, caritatem non excludere desiderium mercedis, in cælo nobis a Deo paratæ; immo potius caritatem nobis ostendere illam mercedem tamquam præcipuum amoris nostri objectum, Deum dico, qui se beatis fruen-

[1] 1. 2., qu. 65, art. 5. — [2] *De amore Dei*, lib. X, cap. 10.

dum largitur; quum amicitia exigat, ut inter se amicus amico fruatur: *Amicorum est, quod quærant invicem perfrui; sed nihil aliud est merces nostra quam perfrui Deo, videndo ipsum: ergo caritas non solum non excludit, sed etiam facit habere oculum ad mercedem* [1].

6. Et hæc est mutua illa donorum communicatio, de qua in Cantico sponsa loquitur: *Dilectus meus mihi, et ego illi* (Cant., II, 16). In cælo anima se totam Deo donat, Deus autem se totum animæ, pro capacitate, quam suis meritis illa acquisivit. Quum vero anima ad infinitam Dei amabilitatem se nihil esse cognoscat, et intelligat, Deum infinite magis mereri ut diligatur, quam ipsa Dei amore digna sit, magis desiderat id quod Deo placeat quam quod semetipsam delectet; quare magis gaudet, quod se totam Deo donat, ut ei placeat, quam quod Deus se totum donat sibi; atque ideo lætatur, Deum se totum sibi donare, quod inde inflammetur, ut ardentiori cum amore se totam Deo donet. Gaudet quidem de gloria a Deo sibi data; sed ideo gaudet, ut ad ipsum Deum illam referat, atque ita, quantum potest,

[1] 3 Sent., dist. 29, qu. 1, art. 4.

divinam adaugeat gloriam. In cælo anima Deum videns non potest, quin Deum omnibus viribus diligat; nec Deus diligentem se odio habere potest. Si tamen Deus (quamquam illud fieri nequit) animam se diligentem odio habere posset, et anima beata posset vivere sine amore erga eum; illa præferret omnes inferni pœnas sustinere, dummodo sibi liceret Deum diligere, etiamsi ab eo odio haberetur, quam Deum non diligere, etsi reliquis omnibus paradisi deliciis frui posset. Anima enim, sciens Deum infinite plus quam seipsam amore esse dignum, multo magis cupit Deum diligere quam ab eo diligi.

7. *Caritas omnia sperat.* Spes christiana, ut cum Magistro Sententiarum docet S. Thomas, definitur: *Certa exspectatio beatitudinis* [1]. Certa est ex infallibili promissione Dei, vitam æternam servis fidelibus se esse daturum. Atqui caritas, quum auferat peccatum, simul aufert beatitudinis consequendæ impedimentum; quapropter quo major est caritas, eo majorem et firmiorem reddit spem nostram. Hæc autem spes neutiquam obesse potest amoris puritati; nam amor, ut ait S. Dionysius Areopagita,

[1] 3 Sent., dist. 26. — 2. 2, qu. 18, art. 4.

suapte naturâ ad unionem cum objecto amato tendit; immo, ut ait S. Augustinus, ipse amor velut aureum vinculum est, corda amantium conjungens: *Quid est ergo amor, nisi quædam vita duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet et quod amatur?* [1] Et quia hæc conjunctio e longinquo fieri nequit, qui amat, semper desiderat amati præsentiam. Sacra Sponsa, a suo Dilecto disjuncta, languebat et socias precabatur, ut de suo mœrore certiorem eum facerent, sperans, eum præsentiâ suâ solatium sibi esse allaturum: *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo* (Cant., V, 8). Anima, Jesu Christi valde amans, non potest, dum his in terris vivit, non desiderare et sperare, mox in cælum se admissum iri, ut cum amato Domino conjungatur.

8. Itaque desiderium adeundi cælum ibique Deum intuendi, non tam quod amor erga Deum nos delectabit, quam quod amor noster delectabit Deum, purus est et perfectus amor. Nec gaudium, quod beati in amando Deo percipiunt, amoris puritati obest; gaudium illud ab

[1] *De Trinitate*, lib. VIII, cap. 10 (*a*).

amore separari nequit; sed beati præcipue et multo magis delectantur amore, quo Deum diligunt, quam gaudio, quod in eo amando percipiunt. Dices: « Amoris concupiscentiæ, non benevolentiæ est, mercedem exoptare ». Sed distinguenda est merces temporalis, quam homines promittunt, a mercede paradisi, quam Deus diligentibus se promittit. Merces, ab hominibus tributa, ab ipsis remunerantibus diversa est: homines enim non se sed sua tribuunt; præcipua vero merces, quam Deus beatis tribuit, est suiipsius largitio: *Ego... merces tua magna nimis* (Genes., XV, 1). Quare idem est desiderare paradisum ac desiderare Deum, qui est finis noster ultimus.

9. Hic autem dubium proponam, quod facile illi occurrere potest, qui Deum amat, suamque voluntatem in omnibus ad divina placita conformare studet. Si sua damnatio æterna sibi revelaretur, numquid teneretur eam accipere, ut ad divinam voluntatem se conformaret? Minime vero, inquit S. Thomas; quin etiam (dicit) peccaret, si ei assentiretur; quia annueret vivere in conditione, quæ a peccato sejungi nequit et ultimo fini, a Deo sibi consti-

tuto, contraria est. Deus enim animas non creat inferno, ubi odio habetur, sed paradiso, ubi diligitur; quare non vult mortem, ne peccatoris quidem, sed ut omnes convertantur et salvi fiant. Dominus, inquit S. Doctor, neminem damnatum vult nisi propter peccatum; *unde velle suam damnationem absolute, non esset conformare voluntatem suam divinæ, sed voluntati peccati* [1]. At, si Deus alicujus peccatum prænoscens, ejus damnationem decrevisset, atque illud decretum ei revelaret? Nec tunc assentiri deberet, inquit Angelicus (l. c.); ea quippe revelatio non pro decreto immutabili esset habenda, sed pro comminatione, si in peccato persisteret (*b*).

10. At vero ex animo depellamus tam funestas cogitationes, quæ non valent nisi fiduciam et amorem restinguere. Jesum Christum amemus, quantum his in terris possumus; assidue exoptemus, ut in paradisum admissi, eum videre eumque perfecte amare liceat. Hoc sit præcipuum eorum, quæ speramus, objectum, illuc properare, ut totis viribus eum diligamus. Etiam hac in vita nobis imponitur: *Diliges*

[1] *De veritate*, qu. 23, *de voluntate Dei*; art. 8, ad 2.

Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis (Luc., X, 27); sed, inquit Angelicus [1], hoc præceptum his in terris ab hominibus perfecte observari nequit. Jesus Christus tantum, Deus simul et homo, et beata Virgo Maria, gratia plena et ab originali culpa immunis, illud perfecte observarunt. Nos, miseri Adami filii culpâ infecti, Deum non sine aliqua imperfectione diligere possumus; tunc solum, quum in cælo facie ad faciem eum videbimus, totis viribus, idque necessario, eum diligemus.

11. Huc igitur spectent desideria nostra, huc omnia suspiria, omnes cogitationes, huc tota spes nostra, ut Deo frui liceat in paradiso, ubi totis viribus eum amemus, et Dei gaudio gaudeamus. Gaudent quidem beati de sua felicitate in illo deliciarum regno; præcipuum tamen eorum gaudium, quod ceteras omnes delectationes absorbet, hoc erit, cognoscere, amatum suum Dominum infinita felicitate gaudere: Deum enim immensum plus quam seipsos diligunt. Propter suum erga Deum amorem quilibet beatus libenti animo

[1] 3 Sent., dist. 27.

omni delectamento se privari omnique cruciatu affici pateretur, ne Deus careret (si ea carere posset) vel minima suæ felicitatis particula. Quapropter, videre Deum esse infinite felicem, ejusque felicitatem in æternum non posse deficere, en totum paradisi gaudium. Illud significant hæc verba, quibus Dominus animam in gloriæ possessione constituit: *Intra in gaudium Domini tui* (Matth., XXV, 21). Non intrat gaudium in beatum, sed beatus intrat in gaudium Dei, quoniam Dei gaudium est objectum gaudii beatorum. Itaque Dei bonum erit bonum beatorum, Dei divitiæ erunt divitiæ beatorum, Dei felicitas erit felicitas beatorum.

12. Ubi anima cælum ingreditur, et infinitam Dei pulchritudinem, lumine gloriæ sibi detectam intuetur, amore prorsus capta et consumpta erit. Tunc in immenso illo divinæ bonitatis pelago feliciter perdita et submersa manebit. Tunc sui oblita et divino amore inebriata, omnem cogitationem in Deo suo amando defixam tenet: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ* (Ps. XXXV, 9). Quemadmodum ebrius suiipsius est immemor, sic anima beata nihil cogitat nisi ut dilectum amet eique compla-

ceat; totum eum possidere cupit, et totum jam possidet, sine ullo timore umquam eum amittendi; totam omni momento se illi ex amore donare cupit, atque omni momento se penitus Deo donat; Deus autem amanter eam amplectitur atque æterno amplexu tenebit.

13. Itaque in cælo anima cum Deo omnino conjuncta, totis viribus absoluto et perfecto amore eum diligit. Qui quidem amor, licet finibus circumscribatur, quum creatura infiniti amoris capax non sit, animam tamen prorsus explet et satiat, ita ut nihil amplius desideret. Deus autem ei se communicat eique commiscetur, eam semetipso replens, quatenus pro meritis capax est; neque amplius, ut hac in vita, solis donis, collustrationibus et blanditiis, sed ipsâ suâ essentiâ cum ea se conjungit. Sicut ignis ferrum penetrat, atque illud totum in suam naturam convertere videtur; ita Deus penetrat animam eamque semetipso replet. Illa igitur, licet naturam suam non amittat, in illo tamen immenso divinæ substantiæ oceano, adeo impleta et absorpta existit, ut velut ad nihilum redigatur ac si non amplius existeret. Quam beatam sortem Apostolus discipulis suis his verbis adpre-

cabatur: *Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei* (Eph., III, 19).

14. Et hic est ultimus finis, quem Dominus pro bonitate sua nobis in altera vita assequendum constituit. Quare, donec anima cum Deo non conjungitur in cælo, ubi perfecta unio habetur, plenam quietem habere non potest. Jesu Christi amantes, quum in divina voluntate acquiescant, pacem quidem reperiunt; plenam tamen quietem hac in vita nequeunt invenire; hæc enim acquiritur, ultimum finem obtinendo, quo dabitur facie ad faciem Deum intueri et divino amore consumi. Donec ille finis non attingitur, inquieta est anima et ingemiscit, et suspirans dicit: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima* (Is., XXXVIII, 17).

15. Equidem, mi Deus, tranquillo animo in hac valle lacrimarum vivo, quia hæc est voluntas tua; non possum tamen inenarrabilem non percipere amaritudinem, quod procul a te necdum perfecte tecum conjunctus sum, qui es centrum meum, mea omnia et plena requies mea. Quocirca Sancti, licet his in terris caritate erga Deum arderent, assidue tamen suspirabant paradisum. David exclamabat: *Heu*

mihi, quia incolatus meus prolongatus est (Ps. CXIX, 5). *Satiabor, quum apparuerit gloria tua* (Ps. XVI, 15). S. Paulus de semetipso dicebat: *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo* (Phil., I, 23). S. Franciscus Assisiensis: « Tantum est bonum, quod exspecto », inquit, « ut omnis molestia me delectet »[1]. Quæ omnia sunt actus perfectæ caritatis. Angelicus docet, altissimum caritatis gradum, quo hac in vita homo ascendere possit, in hoc consistere, ut ardenter cupiat adire cælum, ubi cum Deo conjungatur eoque frui liceat: *Tertium autem studium est, ut homo ad hoc principaliter intendat, ut Deo inhæreat et eo fruatur; et hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt dissolvi, et esse cum Christo* [2]. Sed, ut supra dictum est, anima beata non tam fruitur Deo, quod a Deo gaudium accipit, quam quod gaudet Dei gaudio: Deum enim multo magis quam seipsam diligit.

16. Animabus sanctis in purgatorio detentis hæc omnium maxima pœna est, desiderium, quo in Deum possidendum, necdum possessum, feruntur. Quæ quidem pœna eas maxime cru-

[1] Opera. Apophthegma 57. — [2] 2. 2., qu. 24, art. 9.

ciabit animas, quæ hac in vita paradisum parum desiderarunt. Immo Cardinalis Bellarminus [1] asserit, in purgatorio specialem esse custodiam, quæ *carcer honoratus* dicitur: ibique animas nulla pœna sensûs, sed sola beatificæ visionis privatione affici; cujus rei plura exempla afferunt S. Gregorius, Ven. Beda, S. Vincentius Ferrerius et S. Birgitta. Neque illa pœna constituitur ob peccata commissa, sed propter paradisum nimis languide desideratum. Multæ quidem animæ ad perfectionem adspirant; sed parum curant, utrum cælum mox ingredi liceat, an his in terris vivere pergant. At vita æterna majus bonum est, quam ut Jesus Christus, qui morte sua illud nobis promeruit, non eas castiget animas, quæ illud parum desiderarint.

Pii affectus et preces.

O Deus, Creator mi atque Redemptor, tu paradiso me creasti, ab inferno me redemisti, ut in paradisum me conduceres; ego vero sæpius te offendens, paradisum palam repudiavi et ad infernum condemnari volui! Tua autem

[1] *De Purgatorio*, lib. II, cap. 7.

in æternum laudetur infinita misericordia, quæ veniam mihi, ut spero, concedens, toties inferno me eripuit. Ah, mi Jesu, utinam te numquam offendissem! Utinam te semper amassem! Hoc me consolatur, quod tempus te amandi adhuc mihi superest. Te amo, o amor animæ meæ, te amo ex toto corde, te plus quam meipsum amo. Video, te salvum me velle, ut in illo amoris regno per totam æternitatem te amem. Gratias tibi ago, et te precor ut me adjuves eo vitæ tempore, quod mihi superest; nam eo tempore multum te amare volo, ut deinde multum te amem in æternum. Ah, mi Jesu, quando veniet illa dies, qua periculo te perdendi eripiar, et tuam infinitam pulchritudinem palam intuens, amore tui consumar atque ex necessitate te diligam? O dulcis necessitas! o felix, o amata, o exoptata necessitas, quæ mihi auferet omnem tibi displicendi timorem, et me coget totis viribus te diligere! Conscientia me terrificat et dicit: « Tu ne ad paradisum niti audes? » Sed in tuis meritis, dilecte Redemptor, spem meam colloco. O Maria, paradisi regina, tua deprecatio omnia potest apud Deum, tibi confido.

NOTÆ.

(*a*) Pag. 278: Omnes editiones, quas consului, habent: *quædam vita*. Nonnulli auctores, hunc textum citantes, scribunt: *quædam vitta*; sed qua editione innitantur, nescio.

(*b*) Pag. 280: En ipsa S. Doctoris verba: « Ad 2um dicendum, quod quamvis de potentia absoluta Deus possit revelare suam damnationem alicui, non tamen hoc potest fieri de potentia ordinata; quia talis revelatio cogeret eum desperare. Et si alicui talis revelatio fieret, deberet intelligi non secundum modum prophetiæ prædestinationis vel præscientiæ; sed per modum prophetiæ comminationis, quæ intelligitur suppositâ conditione meritorum; sed dato quod esset intelligenda secundum præscientiæ prophetiam, adhuc non teneretur ille, cui talis revelatio fieret, velle suam damnationem absolute, sed secundum ordinem justitiæ, quo Deus vult persistentes in peccato damnare. Non enim vult Deus ex parte sua aliquem damnare; sed secundum id quod ex nobis est, ut ex supradictis patet. Unde velle suam damnationem absolute, non esset conformare voluntatem suam divinæ, sed voluntati peccati ».

CAPUT XVII.

Caritas omnia sustinet.

Jesu Christi forti amore amantem ob quaslibet tentationes et desolationes ab amore non desistere.

1. Qui Deum vere diligit, minus afflictatur egestate, infirmitate corporis, contumeliis vel persecutionibus, quam tentationibus et desolatione spiritûs. Quum anima suavi Dei præsentia fruitur, omnes dolores, injuriæ et maleficia hominum non mærore sed consolatione eam afficiunt, quod occasionem præbeant, amoris sui pignus Deo offerendi: hoc ligno ignis magis accenditur. Quum vero tentationes ad divinam gratiam amittendam impellunt, vel desolationes timorem injiciunt, ne gratia jam amissa sit, nimio mærore afficitur, qui Jesum Christum ex animo diligit. Sed amor ipse vires præbet ad patienter illa sustinenda, et inceptum perfectionis iter persequendum. Et multum etiam proficitur iis experimentis, quibus hominis amorem Deus probare solet.

§ I. — De Tentationibus.

2. Animis Jesu Christi amantibus nulla molestia tentationibus est acerbior. Cetera mala, toleranter accepta, ad arctiorem cum Deo conjunctionem eas impellunt; tentationes vero, quum (ut supra diximus) eas incitent, ut a Jesu Christo distrahantur, præ omnibus tormentis perquam amaræ fiunt. Verumtamen, etsi tentationes, quæ ad malum stimulant, numquam a Deo, sed a diabolo vel a pravis animæ nostræ propensionibus proveniunt: *Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat* (Jac., I, 13); Deus tamen nonnumquam animas, quas magis diligit, fortius tentari sinit. Idque primum, ut sic melius cognoscant, quam debiles sint, et quantopere divino indigeant auxilio, ne corruant. Anima, divinis solatiis donata, idonea sibi videtur ad repellendos omnes hostium impetus, et omnia perficienda, quæ Dei gloriam promovent. At vehementer tentata, atque in præruptum et gravissimum cadendi periculum adducta, melius suam cognoscit miseriam suamque resistendi impotentiam, nisi

Deus succurrat. Quod se expertum esse, S. Paulus his verbis aperuit: *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet* (2 Cor., XII, 7).

3. Deinde Deus tentationes permittit, ut animum ab hoc mundo magis avertamus, et ardentius cupiamus in cælum ingredi, ut eum intueamur. Quocirca bonæ animæ, tot hostibus diu noctuque irruentibus, hujus vitæ pertæsæ exclamant: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est* (Ps. CXIX, 5); et horam suspirant, quum dicere poterunt: *Laqueus contritus est, et nos liberati sumus* (Ps. CXXIII, 7). Vellet quidem anima ad Deum evolare; sed donec hac in terra vivit, laqueo ligata detinetur, et assidue impugnatur tentationibus; laqueus sola morte conteritur; quapropter animæ Dei amantes suspirant mortem, qua a periculo eum perdendi liberentur.

4. Præterea Deus nos tentari sinit, ut merita nobis augeamus, sicut Tobiæ dictum est: *Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te* (Tob., XII, 13). Non ergo quia tentationes irruunt, animæ timendum est,

ne Dei gratiam amiserit; quin immo tunc magis speret, a Deo se amari. Dæmonis fraude accidit, ut nonnulli, pusilli animi homines, credant, tentationes esse peccata, quæ animam inquinent. Non pravis cogitationibus Deum amittimus, sed pravis consensibus; quamvis vehementissimæ sint diaboli instigationes, licet vividissimæ species illæ impudicæ, quæ mentem occupant; donec tamen eas non volumus, animam nihil contaminant, sed etiam puriorem, fortiorem ac Deo cariorem reddunt. S. Bernardus: *Quoties restiteris*, inquit, *toties coronaberis* [1]. Monacho cuidam Cisterciensi Angelus imperavit, ut coronam, quam in manus ei tradidisset, ad alterum monachum deferret, simulque diceret, eum propter tentationem, paulo ante superatam, coronam illam sibi meruisse. Neque illud nos perterreat, quod prava cogitatio ex mente non discedat, sed pergat nos vexare; satis est, nos ab ea abhorrere, eamque expellere conari.

5. *Fidelis autem Deus est*, inquit Apostolus, *qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione*

[1] *In Quadrag.* sermo 5.

proventum (1 Cor., X, 13). Qui ergo tentationi resistit, non solum nihil perdit, sed etiam multum proficit: *sed faciet cum tentatione proventum.* Atque ideo Dominus dilectas sibi animas haud raro magis tentari sinit, ut hic majora merita, et in cælo majorem gloriam sibi acquirant. Aqua stagnans, quæ nullam in partem movetur, cito corrumpitur; sic et anima, quæ sine tentationibus et sine dimicatione otia agit, in pereundi periculo versatur ex vana sui meriti delectatione; facile enim accidit, ut ad perfectionem se jam pervenisse rata, parum sibi timeat, parum se Deo commendet, parum nitatur salutem suam in tuto collocare; quum vero tentationibus agitata, ad discrimen in peccatum ruendi adductam se videt, tum ad Deum confugit, divinam Matrem advocat, renovat propositum moriendi potius quam peccato consentiendi, semet humiliat et in divinæ misericordiæ brachia se projicit; atque ita firmior evadit et cum Deo magis constringitur, ut experientia demonstrat.

6. Non ideo tamen tentationes exoptare debemus; quin etiam Deum semper precemur oportet, ut a tentationibus nos liberet, et præ-

sertim ab iis, quibus nos superatum iri prævidet (quod in oratione dominica his verbis significamus: *et ne nos inducas in tentationem*); quum vero Deus permittit, ut irruant, nihil turbati propter turpes cogitationes, neque animo consternati, fiduciam in Jesu Christo reponamus, ejusque imploremus auxilium; ille autem sine ulla dubitatione vires ad resistendum præbebit. Si Deus in dimicationem te adducit, inquit S. Augustinus, non te deseret; *projice te in eum, noli metuere; non se subtrahet, ut cadas* [1].

7. Nunc ad media veniamus, quæ ad superandas tentationes nos adhibere oportet. Multa quidem subsidia indicant spiritualis vitæ magistri; unum tamen omnium et maxime necessarium et tutissimum est (neque aliud hic commemoraturus sum), illico cum humilitate et fiducia ad Deum recurrere atque ei dicere: *Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina* (Ps. LXIX, 2): Adjuva me, Domine, et cito adjuva. Hæc sola precatio satis erit ad sustinendos omnes impetus, etiamsi cuncti inferorum dæmones ad nos impugnandos

[1] *Confess.*, lib. VIII, cap. 11.

concurrissent; Deus enim universis diabolis infinite fortior est. Novit Deus, vires nobis deesse ad resistendum infernæ potestatis tentationibus; quare doctissimus Cardinalis Gotti, cum teneri ait, nobis oppugnatis et in periculo prolabendi constitutis, auxilium ad resistendum sufficiens præbere, quoties illud petamus: *Respondeo ..., quum tentamur, nobis ad Deum confugientibus, per gratiam a Deo paratam et oblatam, vires adfuturas, qua possimus resistere et actu resistamus* [1].

8. Et quomodo timeamus, ne Jesus Christus nobis non succurrat, postquam in sacris Scripturis toties promiserit, se esse adfuturum? *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis* (i. e. qui cum tentationibus luctantes defatigamini), *et ego reficiam vos* (Matth., XI, 28). *Et invoca me in die tribulationis; eruam te, et honorificabis me* (i. e. me laudabis, quoniam periculo te eripui) (Ps. XLIX, 15). *Tunc invocabis, et Dominus exaudiet, clamabis* (eja, Domine, adjuva me), *et dicet: Ecce adsum* (ut auxilium afferam) (Is., LVIII, 9). *Quis invocavit eum, et despexit illum* (nec præstitit auxilium)

[1] *De divina Gratia*, qu. 2, dist. 5, § 3.

(Eccli., II, 12)? David pro certo habebat, propter hoc orationis subsidium ab inimicis numquam se superatum iri: *Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero* (Ps. XVII, 4). Sciebat enim, Dominum ad eos omnes accedere, qui suum implorent auxilium: *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum* (Ps. CXLIV, 18). Et adjungit S. Paulus, Dominum non avarum, sed in gratiis largiendis munificum esse iis, qui se invocent: *Dives in omnes, qui invocant illum* (Rom., X, 12).

9. Oh si omnes, quum ad offendendum Deum sollicitantur, ad eum recurrerent; nemo unquam eum offenderet! Cadunt miseri, quia pravis appetentiis allecti Deum, summum bonum, perdere malunt quam breves illas delectationes. Satis superque demonstrat experientia, eum qui tentatione lacessitus ad Deum recurrat, non succumbere; succumbere autem, qui non recurrat; praesertim in tentationibus incontinentiae. S. Salomon: *Et ut scivi*, inquit, *quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det . . . , adii Dominum* (in tentationibus), *et deprecatus sum illum* (Sap., VIII, 21). Quum irruunt immundae tentationes (atque idem dicendum de tentatio-

nibus contra fidem), expedire non solet, adversa fronte cum illis dimicare, sed illico indirecte expelli debent, eliciendo actum bonum vel amoris erga Deum vel doloris de peccatis, vel etiam intendendo animum ad aliquam actionem indifferentem, quæ mentem ab iis cogitationibus abstrahat. Cogitatio, malignam faciem præ se ferens, vixdum conspecta, statim abigenda est; janua illi, ut ita dicam, coram occludenda, aditus ad mentem plane denegandus, neque inquirendum est, quid dicat vel sibi velit. Perversas illas instigationes protinus excutere oportet, sicut excutiuntur scintillæ, quæ vestibus insiluerunt.

10. Quodsi inhonesta tentatio mentem jam introiverit, et ostendens quid velit, sensum stimulet, tum, inquit S. Hieronymus: *Statim ut libido titillaverit sensum, erumpamus in vocem: Dominus auxiliator meus* [1]. Confestim dicamus: *Adjuva me, Domine;* sanctissima item invocemus Jesu et Mariæ nomina, quæ ad tales tentationes reprimendas mirum quantum valent. Pueri, inquit S. Franciscus Salesius, quum lupum adspiciunt, illico ad patris matrisque

[1] *Epistola ad Eustochium.*

brachia percurrunt, atque ibi in tuto se esse confidunt; ita et nobis agendum est: Jesum et Mariam invocando, illico ad eos recurramus. Iterum dico: *illico recurramus,* neque aures demus tentationi, nec sermonem cum ea habeamus. In libro de Sententiis Patrum [1] legimus, S. Pachomium aliquando audivisse diabolum jactantem, haud raro se prostravisse monachum, quod aures sibi præberet, neque ad Deum se converteret; alium vero lamentantem, se cum monacho suo nihil proficere, quod protinus ad Deum confugiens, semper vinceret.

11. Si autem tentatio nos vexare non desinit, ne animo turbemur, nec tentationi irascamur; nam tali commotione diabolus ad nos conterendos fortior evaderet. Humili tunc animo acquiescamus in voluntate Dei, qui sinere constituit, fœda illa cogitatione nos torqueri; atque cum his verbis alloquamur: «Equidem, Domine, dignus sum, qui sordibus istis torquear in pœnam injuriarum, quas tibi intuli; tu autem succurre mihi et libera me». Si ergo tentatio nos sollicitare pergat, pergamus et nos Jesum et Mariam invocare. Valde prodest, quum tentatio ur-

[1] *De Vitis Patrum* liber III, *Verba Seniorum,* n. 35 (*a*).

gere non cessat, renovare Deo datam promissionem subeundi quodlibet tormentum et millies moriendi potius quam ut eum offendamus; neque interim omittendum est ejus implorare auxilium. Si autem tentatio adeo vehemens esset, ut in magno consentiendi periculo versaremur, instantius precari oportet, ad SS. Sacramentum recurrere, ad pedes Crucifixi vel imaginis beatissimæ Virginis provolvi, et ferventius semper orantes atque opem petentes ingemiscere et lacrimari. Deus paratus quidem est precantem exaudire, et ab eo, non vero a diligentia nostra, resistendi vires repetendæ sunt; sed nonnumquam Dominus talem contentionem a nobis expostulat, et ipse deinde debilitatem nostram supplet, et victoriam præbet.

12. Item prodest, quum tentatione impugnamur, frontem et pectus sanctæ crucis signo sæpius munire. Multum etiam expedit, animæ moderatori tentationem patefacere. S. Philippus Nerius patefactam tentationem semivictam dicebat. Hic autem animadvertere juvat, theologos, etiam rigidiores, communiter docere, eos qui spirituali vitæ diu vacaverint, et valde timoratæ sint conscientiæ, quum dubium habent

nec certo sciunt, num gravi culpæ consenserint, pro certo credere debere, divina gratia se non excidisse; quum moraliter impossibile sit, voluntatem bonis propositis diu firmatam subito mutari et peccato mortali consentire, nec tamen perspicue illud cognoscere: quandoquidem peccatum mortale est monstrum adeo horribile, ut in animam, quæ diu ab eo alienissima fuerit, non possit irrumpere, quin manifesto se patefaciat. Quod in Opere Morali (Lib. VI, n. 476) abunde demonstravimus. S. Teresia: « Nemo inscius perit », inquit; « nec quisquam in errore detinetur, nisi errare velit » [1].

13. Quapropter nonnumquam expedit, directorem prohibere, ne aliqui teneræ conscientiæ et virtute firmati, sed timidi et tentationibus vexati (præsertim quum tentationes fidei vel castitati adversantur) eas patefaciant vel de iis loquantur. Ad eas namque detegendas, secum deliberare debent, quomodo cogitationes irrepserint, num in iis cum delectatione permanserint, num delectamento nimium indulserint, vel etiam præbuerint consensum; quæ

[1] *Vita*, addit.

omnia iterum secum reputantes, fœdis illis speciebus magis commoventur, et anxiori fiunt animo. Quando confessarius moraliter certus est, iis instigationibus eos non assentiri, interdicat potius, ne de iis loquantur. Atque illam agendi rationem S. Joannam de Chantal secutam esse reperio. Refert se, quum plures annos atris tentationum procellis jactaretur, neque umquam consensum se præbuisse compertum haberet, numquam de iis in confessione mentionem fecisse, sed constanter se gessisse juxta normam, a moderatore sibi traditam. *Numquam clare perspexi,* inquit, *consensum me præbuisse* [1]. Quæ verba satis indicant, aliquem circa eas tentationes in ejus animo resedisse angorem et scrupulum; verumtamen in directoris jussu talia dubia non confitendi acquiescebat. Ceterum ad tentationes sedandas, ut supra dictum est, generatim quidem valde expedit, confessario eas patefacere.

14. Sed iterum dico, omnium contra tentationes remediorum efficacissimum et maxime necessarium, remediorum remedium est, Dei auxilium implorare, et donec persistit tentatio,

[1] *Mémoires de la Mère de Chaugy,* partie III, chap. 27.

in precatione persistere. Sæpius fiet, ut Dominus victoriam colligaverit non cum prima, sed cum secunda, tertia vel quarta precatione. In summa persuasum habeamus, ex precatione pendere omne nostrum bonum, ex precatione emendationem vitæ, ex precatione victoriam de tentationibus, ex precatione adeptionem divini amoris, perfectionis, perseverantiæ et salutis æternæ.

15. Cuidam eorum, qui opera mea spiritualia legerunt, tædium forsitan attuli, quod nimium sæpe inculcavi, quanti momenti sit et quantæ necessitatis, assiduis precibus ad Deum recurrere. Ego vero non nimium, sed parum hac de re dixisse mihi videor. Scio, nos omnes diu noctuque tentationibus impugnari, nec quidquam diabolum omittere, ut nos prosternat. Scio, nos divino auxilio destitutos dæmoniorum impetus non posse sustinere, eamque ob causam Apostolum nos exhortari: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli; quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum* (Eph., VI, 11-12). Et quæ est

armatura illa, qua ad repellendos dæmones Apostolus nos uti jubet? Hæc est: *Per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, et in ipso vigilantes in omni instantia* (Eph., VI, 18): arma illa sunt continuæ et fervidæ preces ad Deum fusæ, ut nobis succurrat nec superemur. Scio præterea, omnes sacras Litteras tum veteris tum novi Testamenti nihil aliud facere nisi nos exhortari, ut preces adhibeamus: *Invoca me..., eruam te* (Ps. XLIX, 15). *Clama ad me, et exaudiam te* (Jerem., XXXIII, 3). *Oportet semper orare, et non deficere* (Luc., XVIII, 1). *Petite, et dabitur vobis* (Matth., VII, 7). *Vigilate, et orate* (Matth., XXVI, 41). *Sine intermissione orate* (1 Thess., V, 17). Quare non nimium, sed parum de precatione dixisse mihi videor.

16. Vellem equidem, omnes prædicatores audientibus nihil tantum commendare quantum precationem; confessarios pœnitentibus nihil studiosius suadere quam precationem; rerum spiritualium scriptores nihil copiosius tractare quam precationem. Sed hoc lamentor (atque illud in pœnam peccatorum nostrorum accidere reputo), quod tam multi concionatores, confes-

sarii et scriptores de precatione parum loquuntur. Certum quidem est, vitæ spirituali multum prodesse conciones, meditationes, communiones et mortificationes; verum si tentationibus irruentibus Deo nos commendare omittamus, nec conciones, nec meditationes, communiones, macerationes vel bona proposita impedient, quominus corruamus. Si ergo salvari cupimus, sine intermissione oremus nosque commendemus Redemptori nostro Jesu Christo, et maxime, quo tempore tentamur; nec solum sanctam perseverantiam efflagitemus, sed etiam gratiam semper precandi. Item nosmetipsos semper commendemus divinæ Matri, quæ est gratiarum dispensatrix, ut ait S. Bernardus: *Quæramus gratiam, et per Mariam quæramus* [1]. Nam, inquit, *nihil nos Deus voluit habere, quod per Mariæ manus non transiret* [2].

Pii affectus et preces.

O Jesu, Redemptor mi, sanguine tuo confisus, spero te mihi remisisse injurias, quas tibi intuli; et spero, æternas tibi in paradiso

[1] *In Nativ. B. M. V.* — [2] *In Vig. Nat.*, sermo 3.

gratias me esse acturum: *Misericordias Domini in æternum cantabo* (Ps. LXXXVIII, 2). Video, me hactenus misere prolapsum et relapsum fuisse, quod sanctam perseverantiam a te petere neglexi. Perseverantiam nunc a te peto: *ne permittas me separari a te.* Mecum statuo, illam semper a te petere, et præsertim quum ad te offendendum tentabor. Illud mecum statuo et promitto. Sed quid mihi proderunt hoc meum propositum et promissum, nisi tu gratiam mihi dederis ad pedes tuos recurrendi? Ah, per passionis tuæ merita hanc mihi gratiam concede, ut in omnibus necessitatibus ad te confugiam. O Maria, regina et mater mea, per tuum erga Jesum Christum amorem, te obsecro ut hanc gratiam mihi impetres, per totam vitam meam ad Filium tuum et ad te semper recurrendi.

§ II. — De Desolationibus.

17. Errant, inquit S. Franciscus Salesius, qui ex consolationibus, quas percipiunt, devotionem metiri volunt. « Vera in via Dei devotio consistit in firma voluntate exsequendi

quidquid Deo placet » [1]. Deus animas magis sibi dilectas per ariditates secum constringit. Veræ cum Deo unioni obstat amor, quo pravis nostris appetentiis adhæremus; quapropter quum Dominus animam ad perfectum suum amorem pertrahere statuit, ab omni erga creata bona affectu eam avertere nititur. Unde ante omnia ei aufert bona temporalia, hujus mundi oblectamenta, fortunas, honores, amicos, propinquos, corporis valetudinem ; ut hoc modo, per jacturas, molestias, contemptiones, funera et corporis infirmitates ab omni rerum creatarum affectu soluta, in ipsum omnes affectus suos transferat.

18. Deinde, ut erga spiritualia bona amorem suscipiat, initio solatia una cum lacrimarum et affectuum copia large suppeditat; quo fit, ut anima non solum a sensuum dulcedine avocetur, sed etiam omni mortificationis genere, jejuniis, ciliciis et flagellationibus macerari vellet. Tunc vero moderator frenum illi adhibere debet, nec permittere mortificationes, saltem non omnes, quas facere cuperet; impulsa enim sensibili fervore, immoderatâ agendi ratione va-

[1] *Introd.*, partie IV, chap. 13.

letudinem facile profligaret. Hac nimirum fallacia diabolus utitur: cernens aliquem se Deo tradere, et animadvertens Deum blanditiis, quibus incipientes afficere solet, eum recreare; hoc efficere conatur, ut immoderatis mortificationibus valetudinem amittat, et deinde, corporis infirmitatibus laborans, non solum pœnitentiis, sed etiam orationi, Communionibus et omnibus pietatis exercitiis valedicat, et ad pristinam redeat vitæ normam. Director ergo, quum vitam spiritualem incipientes mortificari cupiunt, valde parcum in pœnitentiis concedendis se præbeat; hortetur potius, ut intus se mortificent patienter sustinendo contemptiones et res adversas, obtemperando præpositis, abstinendo a curiositate videndi vel audiendi, atque aliis ejusmodi rebus; iisque dicat, quum ad bonam illam interiorum mortificationum consuetudinem pervenerint, eos mereri posse, ut externas exerceant. Ceterum, quod nonnulli dicunt, externas mortificationes nihil vel parum prodesse, vehementer errant. Dubium non est, quin perfectioni magis necessariæ sint internæ; sed non ideo externæ non sunt necessariæ. S. Vincentius a Paulo: « Qui externas mortificationes non exercet », inquit,

« neque externe neque interne mortificatus erit »[1]. Quibus S. Joannes a Cruce adjungit, directori, qui carnis macerationes parvi faciat, etiamsi miracula patraret, fidem non esse adjungendam[2].

19. Sed ad argumentum redeamus. Anima igitur, Deo se tradere incipiens et dulcedinem degustans sensibilium consolationum, quibus Dominus eam allicere atque a studio terrenarum delectationum abducere nititur, paulatim a rebus creatis disjungitur et Deo adhæret. Verum Deo imperfecte adhæresci; magis enim spiritualium illarum consolationum dulcedine quam sincerâ Deo placendi voluntate impellitur; falso autem credit, eo magis se Deum diligere, quo majorem dulcedinem ex pietatis exercitiis percipiat. Unde fit, ut, quum removetur ab iis exercitiis, quibus delectabatur, et alia opera exercere debet, ab obedientia, caritate vel conditionis suæ officio imposita, mente turbetur et dolcat: hoc vitium miseræ humanitatis commune est, quod in omni actione sibimetipsi satisfacere nititur. Vel etiam, quum in pietatis exercitiis delectationes semel degustatas non amplius reperit, ea omnino relinquit, vel saltem

[1] Abelly, livre III, chap. 46. — [2] Sententia 72.

imminuit, et quotidie magis imminuendo, tandem prorsus omittit. Atque illud infortunium multis accidit animis, quæ a Deo ad suum amorem vocatæ, perfectionis viam ingrediuntur, et aliquem progressum faciunt, donec spirituales dulcedines perdurant; quibus vix recedentibus cuncta abjiciunt et ad pristinam vitam redeunt. Hoc ergo persuasum habeamus, amorem erga Deum et perfectionem non consistere in blanditiis et consolationibus percipiendis, sed in superando amore proprio et divina voluntate sequenda. S. Franciscus Salesius: «Deus», inquit, «æque amabilis est, quum solatiis nos permulcet, quam quum cruciatu nos afficit»[1].

20. Qui divinis solatiis recreatur, non magnam exercet virtutem, quum corporis voluptatibus abstinet, et injurias atque adversa patienter subit: anima, tali dulcedine affecta, omnia sustinet. Sed illa tolerantia haud raro magis provenit ex percepta suavitate quam ex fortitudine veri amoris erga Deum. Dominus igitur, ut firmiorem reddat ejus virtutem, ab ea se subtrahit, eamque privat blanditiis, ut eam removeat ab omni affectu erga amorem

[1] *Amour de Dieu*, livre IX, chap. 2.

proprium, qui tali dulcedine pascebatur. Unde quum antea gaudium perciperet ex actibus oblationis, fiduciæ et amoris; tunc, siccatâ venâ, frigide et gravate eos elicit; tædium afferunt tenerrima pietatis exercitia, oratio mentalis, lectio spiritualis et communio; quin etiam nihil ibi nisi tenebras et formidines reperit, et cuncta desperata ei videntur. Ad preces recurrit, rursusque precari incipit; quum vero Deus, ut videtur, ipsam exaudire recuset, in magnos luctus incidit.

21. Ad ea veniamus, quæ ex parte nostra facienda sunt. Quum pro sua misericordia Dominus jucunda sua præsentia nos recreat, suamque gratiam nobis adesse etiam sensui patefacit, non decet (ut nonnulli mystici falso contendebant) divinas illas consolationes repellere; grato animo eas accipiamus, nec tamen in degustando vel fruendo illo suavitatis sensu immoremur; illud enim S. Joannes a Cruce *gulam spiritualem* vocat, quæ vitiosa est et Deo non placet. Sensibilem delectationem, ex illa dulcedine exortam, ab animo depellamus; et præsertim ne putemus, Deum ideo nobis blandiri, quia ceteris hominibus melius erga eum nos

geramus: talis enim arrogantia Dominum cogeret omnino a nobis recedere, nosque in miseriis relinquere. Oportet quidem fervidas tunc Deo gratias agere; nam illæ mentis consolationes magna sunt Dei dona, omnibus divitiis et mundi honoribus multo majora; non tamen hoc agamus, ut sensibili illa delectatione tunc perfruamur, sed ad humilitatem nos excitemus, vitæ anteactæ peccata recolendo. Tunc arbitremur, illa benevolentiæ signa ex mera Dei bonitate proficisci, et Deum hæc solatia ideo forsitan præmittere, ut iis roborati magnam aliquam molestiam, qua nos afficere constituit, patienter brevi postea toleremus. Profiteamur ergo, paratos nos esse ad omnem, quæ accidere possit, molestiam subeundam sive externam sive internam, omnem corporis infirmitatem, omnem persecutionem, omnem desolationem spiritûs; et Deum his verbis alloquamur: « Ecce, præsto sum, Domine; meipso meisque rebus utere, ut voles; gratiam te amandi tuæque voluntati perfecte obsequendi mihi concede; non aliud peto ».

22. Donec autem anima morali certitudine cognoscit, in Dei gratia se esse, etiamsi et ter-

renis et divinis oblectamentis careat, sorte sua contenta vivit, quod sciat, se Deum diligere et ab eo diligi. Deus vero, ut ab omnibus, quæ sensui satisfaciunt, purgatam eam et vacuam videat, atque ita puro amore secum eam conjungat, desolationem velut ignis experimentum adhibet, quo cruciatu acerbiorem nullum, neque interiorem neque exteriorem, homo subire potest. Aufert ei conditionis suæ notitiam: non cognoscit, in statu gratiæ se esse, et tetris obvolvitur tenebris, quibus obducta non amplius Deum invenire sibi videtur. Quinimmo nonnumquam Deus permittit, ut graves sensuum tentationes irruant unà cum pravis concupiscentiæ motibus vel cum cogitationibus incredulitatis, desperationis vel etiam odii Dei, quum Dominus ipsam repulisse videatur nec preces suas audire. Et quoniam ex una parte diabolus vehementer eam invadit, ejusque commota est concupiscentia, ex altera parte anima in densa versatur caligine; quamvis voluntate reluctetur, satis discernere nequit, utrum illis tentationibus, ut par est, resistat, an vero consentiat; unde ei accrescit formido, ne Deum amiserit, timetque ne propter suam in decer-

tando infidelitatem a Deo prorsus derelicta sit. Quare sibi videtur ad ultimam devenisse perniciem, quod non amplius Deum diligat atque illi etiam odio sit. Quem cruciatum S. Teresia subiit, et confessa est [1], solitudinem tunc non solatio sed tormento sibi fuisse, in oratione autem velut infernum semet reperisse.

23. Quum talia accidunt animæ Dei amanti, neque ipsa consternetur, neque ejus director pavescat. Carnales illi motus, tentationes illæ contra fidem vel fiduciam, illi impetus, quibus ad odium Dei impellitur, timores sunt, cruciatus animæ et tentamina diaboli, minime vero actus voluntarii, neque ergo sunt peccata. Anima, quæ Jesum Christum vere diligit, resistit quidem neque iis impulsionibus assentitur; illud vero, tenebris abdita, discernere nequit et confusa remanet; neque amplius gratiæ præsentiam percipiens, timet et mœrore conficitur. Sed plane perspicies, in iis animis, quas Deus sic probat, omnia pavore et formidine, non veritate, niti: interroga eas, etiam quando prorsus derelictæ sibi videntur, num aliquod peccatum veniale apertis oculis committere vellent; firmissime

[1] *Vita*, cap. 30.

respondebunt, se mortem potius, non semel, sed millies esse subituras quam ut Deo sua voluntate ita displicerent.

24. Hic ergo distinguere oportet: aliud est, bonum actum elicere, v. g. repellere tentationem, Deo confidere, eum amare et velle, quæ Deus velit; aliud est, cognoscere, se revera elicere actum bonum. Hoc ultimum, quo discernimus, nos recte agere, nobis quidem delectamento est; illud vero primum, i. e. actum elicere, verum continet animæ emolumentum. Deus autem ipsa actione contentus, animæ negat actionis notitiam, ut sic ei auferat omnem delectationem, quæ ad bonum actum nihil adjicit: Deus enim emolumentum nostrum magis quam oblectamentum curat. S. Joannes a Cruce, ut desolatæ cuidam animæ allevamentum afferret, ei scripsit: « Numquam in meliori statu fuisti, quam nunc es; numquam enim adeo eras humiliata et a mundi studio remota; numquam perversitatem tuam tantum agnovisti, quantum nunc agnoscis. Neque umquam tui ipsius tam expers fuisti, nec tam disjuncta a studio tibimet-ipsi obsecundandi » [1]. Ne igitur credamus, a

[1] Epistola 8.

Deo nos magis diligi, quum major spiritûs dulcedinem percipimus; in ea enim non consistit perfectio, sed in mortificanda nostra voluntate, et ea divinæ voluntati conjungenda.

25. In illo ergo desolationis statu anima ne aures præbeat diabolo suggerenti, eam esse a Deo derelictam; neque orationem omittat. Ad illud scilicet diabolus impellit, ut deinde præcipitem eam dejiciat. S. Teresia: « Dominus », inquit, « se amantes ariditate et tentationibus probat. Etiamsi ariditas per totam vitam duret, anima orationem ne omittat; suo tempore larga merces ei tribuetur » [1]. In acerba illa rerum conditione anima semet humiliare debet et secum reputare, ob injurias Deo illatas dignam se esse, quæ ita tractetur; atque in divina voluntate demisse acquiescens dicat: « Ecce præsto sum, Domine; si tibi placet, me per totam vitam atque etiam in omni æternitate ita desolatam et afflictam tenere, gratiam tuam mihi concede, fac ut te amem; ceterum dispone ut voles ».

26. Nec quidquam proficies, nisi forte ut magis turberis animo, si tunc cognoscere velis,

[1] *Vita*, cap. 11.

te esse in statu gratiæ, teque a Deo probari, non derelinqui; Deus enim non vult, te illud cognoscere. Atque illud non vult in majorem tuam utilitatem, ut nempe magis te humilies, ad preces sæpius recurras, et actus fiduciæ in divina misericordia frequentius elicias. Tu videre cupis; Deus autem non vult, te videre. Ceterum, inquit S. Franciscus Salesius [1], « firmum propositum ne minimo quidem peccato assentiendi, testimonium nobis affert, in statu gratiæ nos esse ». Anima vero, quum in summa desolatione versatur, ne illud quidem clare perspicit. Ne autem in illo statu expostulet, ut sentiat, quid velit; satis est, eam extremo voluntatis apice illud velle. Et sic in divinæ bonitatis brachia se penitus projiciat. Oh, quantopere nobis conciliant divinum amorem tales actus fiduciæ et conformationis, in atra desolationis caligine eliciti! Ah, fiduciam reponamus in Deo, qui (ut ajebat S. Teresia) nos magis diligit, quam diligimus nosmetipsos.

27. Itaque mærere desinant illæ animæ, Deo caræ, quæ penitus illius esse volunt, ac simul

[1] *Esprit*, partie V, chap. 4.

omni solatio carent. Earum desolatio indicium est, a Deo eas valde diligi, Deumque iis jam parasse locum in paradiso, ubi consolationes plenæ sunt atque æternæ. Et pro certo habeant, quanto majores his in terris subierint afflictiones, tanto majora in beatorum regno se percepturas esse solatia: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam* (Ps. XCIII, 19). Ut porro desolatis animis levamen præbeam, afferre libet, quæ in vita S. Matris Joannæ de Chantal narrantur. Per unum et quadraginta annos gravissimis vexabatur animi cruciatibus, tentationibus ac formidine, ne in Dei offensam incurrisset, quin etiam ne a Deo esset derelicta. Tam assidue tamque atrociter torquebatur, ut dicere non dubitaret, solam mortis cogitationem aliquid levationis sibi afferre. Item dicebat: « Tam furibundis impugnationibus invador, ut nesciam, ubi misera mens perfugium reperiat. Nonnumquam patientia jam erumpere mihi videtur, atque in eo esse, ut omnia perdam et abjiciam ». Ac præterea: « Tam crudelis est tentationis tyrannus, ut singulis diei horis morte

eum permutare vellem. Aliquando cibum capiendi et dormiendi usum amitto »[1].

28. Octo vel novem ultimis vitæ annis tentationes multo atrociores fuerunt. Asserebat Mater de Chatel, sanctam suam Matrem de Chantal diu noctuque continuum animæ martyrium subire, sive orationi vacaret, sive manu laboraret, sive etiam a labore quiesceret, adeo ut eam summopere miseraretur. Contra omnes virtutes, castitate excepta, diabolus eam tentabat, inducebatque dubia, tenebras et fastidia. Nonnumquam Deus, adempto mentis lumine, indignabundus ei apparebat, ac si eam a se rejicere vellet; unde pavore perculsa detorquebat oculos, ut alibi levationem reperiret; qua minime reperta, Deum iterum aspicere cogebatur ejusque misericordiæ se committere. Ad tentationum impetum omni temporis momento prolapsura sibi videbatur. Divinum præsidium eam quidem non dereliquerat; ipsa tamen a Deo jam derelicta sibi videbatur, quod nullum amplius oblectamentum, sed solummodo tædia animique angores perciperet ex oratione, ex libris de pietate tractantibus, ex Commu-

[1] *Mémoires de la Mère de Chaugy*, partie III, chap. 27.

nione ceterisque spiritualibus exercitiis. Non aliud in illo desolationis statu facere poterat, nisi Deum suum intueri eique non resistere.

29. « In desolatione mea », inquiebat, « simplex via, qua incedere cogor, nova crux mihi evadit, et agendi impotentia cruciatui incrementum affert ». Mihi videor, dicebat, esse velut ægrotans, qui doloribus oppressus se vertere nequeat; velut mutus, qui exponere non possit, quid patiatur; velut cæcus, qui non discernat, utrum medicina sibi porrigatur an venenum. Et in lacrimas effusa: « Equidem », subjungebat, « sine fide, sine spe et sine amore erga Deum meum esse mihi videor ». Interim tamen vultu semper sereno, in sermocinandi consuetudine affabilem se præbebat, et oculis assidue in Deo defixis, acquiescebat in divinæ voluntatis gremio. Unde ejus moderator, S. Franciscus Salesius, qui probe sciebat, quam dilecta Deo esset speciosa ejus anima: « Cor ejus » inquiebat, « erat velut surdus musicus, qui licet eximie cantaret, nullum inde oblectamentum percipere poterat ». Et ad eam scribebat: « Salvatori tuo servire debes ex solo ejus voluntatis amore, omni consolatione destituta

et immersa tristitiæ ac pavoris diluvio ». Ita Sancti perficiuntur. Ecclesia cantat :

Scalpri salubris ictibus,
Et tunsione plurima,
Fabri polita malleo
Hanc saxa molem construunt,
Aptisque junctа nexibus
Locantur in fastigio.

Quibus electis lapidibus Sancti designantur, qui politi scalpri ictibus, id est, tentationibus, formidine, caligine atque aliis internis et externis cruciatibus idonei fiunt, ut in thronis beati cælorum regni collocentur.

Pii affectus et preces.

Jesu, spes mea, amor mi, quem unice diligit anima mea, ego consolationibus tuis et blanditiis indignus sum; reserva eas sanctis illis animis, quæ te semper amaverunt; ego peccator eas nec merui nec peto. Hoc unum te rogo : fac ut te amem, fac ut per totam vitam tuæ voluntati obsequar; ceterum mecum age, ut tibi videbitur. Me miserum! Aliæ tenebræ, alii pavores, aliæ desolationes mihi obtingere de-

berent ob injurias, quibus te affeci: in inferno esse deberem, ubi in æternum a te divulsus et a te plane derelictus, semper lugerem neque amplius te diligere possem. Non ita, Jesu mi; omnem pœnam accipio, sed non illam. Tu infinito amore dignus es; nimium me obligasti ad te amandum; vivere non possem si te non amarem. Te amo, summum meum bonum; ex toto corde te amo; te magis quam meipsum amo; te amo neque aliud volo nisi te amare. Video, hanc bonam voluntatem esse tuæ gratiæ donum; opus tuum perfice, Domine; semper me adjuva usque ad mortem, noli me mihimetipsi relinquere; vires mihi præbe ad superandas tentationes et meipsum vincendum; quapropter fac ut semper ad te recurram. Totus tuus esse volo, tibi dono corpus meum, animam, voluntatem, libertatem; non amplius mihi vivere volo, sed tibi soli, Creatori et Redemptori meo, tibi qui amor meus et omnia mihi es: *Deus meus et omnia.* Sanctus fieri volo, et tibi confisus ita futurum esse spero. Exercita me ut voles: omnia mihi aufer, dummodo ne mihi auferas tuam gratiam tuumque amorem. O Maria, peccatorum fiducia, potentissima es apud

Deum; tua intercessione multum confido: per tuum erga Jesum Christum amorem te precor, adjuva me et fac ut ad sanctitatem perveniam.

—

NOTÆ.

(*a*) Pag. 298: « Frequenter (Pachomius) dicebat fratribus: Quia (sicut mihi testis est Dominus Deus) sæpe audivi immundos spiritus dæmonum loquentes inter se diversas ac varias artes suas, quas contra servientes Deo, maximeque contra monachos habent. Quidam enim dicebant: Quia ego certamen contra durissimum hominem habeo, et quoties ei immitto perversas cogitationes, ille statim surgit, et prosternit se in oratione, cum gemitu orans, adesse sibi divinum auxilium. Ego autem, minime illo exsurgente, cum grandi confusione egredior. — Item alius dæmon dicebat: Ego ad illum, quem observo, quum ei cogitationes immisero in corde, consentit, et suscipit et facit eas. Sæpe enim exardescere eum in iracundia facio, et in contentiones rixæ, et pigritiam orationis, et dormitionem in psalmodia, et non contradicit mihi. — Ideoque, fratres mei dilectissimi, semper oportet ut custodiatis sensum et animum vestrum, invocantes nomen Domini nostri Jesu Christi ».

SUMMA VIRTUTUM

QUAS JESU CHRISTI AMANTIBUS

EXERCENDAS PROPOSUIMUS

I. Patienter sustinenda sunt hujus vitæ mala: corporis infirmitates, dolores, paupertas, rerum jactura, propinquorum obitus, injuriæ, persecutiones et adversa quæque. Ærumnas autem hujus vitæ habeamus ut signa divini erga nos amoris, et ut argumentum, Deum in altera vita salvos nos velle. Præterea hoc persuasum nobis sit, Deo acceptiores esse mortificationes, quæ sine nostra voluntate ab eo nobis mittantur, iis quas nos ultro suscipiamus.

II. Adversâ valetudine affecti, ad divinam voluntatem omnino conformemur: Deo illud gratius est quolibet pietatis exercitio. Si tunc meditationi operam dare non possimus, Crucifixum intueamur, dolores nostros ei offerentes, eosque conjungentes cum doloribus, quos ille in cruce pro nobis sustinuit. Nuntium autem, mortem jam instare, placide accipiamus et cum spiritu sacrificii, id est, cum voluntate mo-

riendi, ut Jesu Christo gratum faciamus: hac una voluntate meritoria fuit mors, quam Martyres subierunt. Tunc dicere oportet: « Ecce, præsto sum, Domine; quidquid volueris, ego volo; ea perpeti volo, quæ tu velis; quando tu volueris, mori volo ». Neque ideo tunc vitam expetamus, ut pro peccatis agamus pœni tentiam: mortem æquo animo accipere pluris est quam quælibet pœnitentia.

III. Præterea voluntatem nostram ad divinum placitum accommodemus oportet in perferenda paupertate et in omnibus tolerandis incommodis, quæ paupertas secum affert, cujusmodi sunt frigus, fames, corporis labores, dedecus atque irrisio.

IV. Similiter acquiescendum est, si quam jacturam faciamus vel bonorum vel propinquorum vel talium amicorum, qui si viverent, commodis nostris servire possent. Assuescamus in omnibus rebus adversis repetere: « Sic voluit Deus, sic ego volo ». Et quod ad mortem propinquorum attinet, ne tempus frustra lacrimando conteramus, sed eo utamur ad preces pro eorum animis solvendas, et molestiam ex eorum jactura perceptam Jesu Christo offeramus.

V. Huc item omni studio incumbamus, ut patienter et placide perferamus contemptus

atque injurias. Convicia in nos jactanti benigne respondeamus; si tamen animo turbati simus, præstat perpeti et tacere, donec animi motus deferbuerit; neque interim cum aliis de illata injuria queramur, sed taciti eam offeramus Jesu Christo, qui pro nobis tot injurias pertulit.

VI. Benignitate utendum est erga omnes, superiores et inferiores, nobiles et plebeios, propinquos et extraneos; magis autem erga pauperes et ægrotos; et maxime erga eos, qui torvis oculis nos adspiciunt.

VII. In corripiendis alterius culpis magis prodest benignitas aliis quibuslibet mediis vel rationibus. Quapropter, dum ipsi irâ concitati sumus, correctione abstineamus, quum ea vel in seligendis verbis vel in corrigendi modo acerbitate non careret. Nec qui deliquit, objurgari debet, donec exasperato est animo: tunc enim exandesceret potius quam ad meliorem frugem se reciperet.

VIII. Hujus mundi optimatibus ne invideamus divitias, honores, dignitates nec plausus, quos ab hominibus recipiunt; sed invideamus iis, qui Jesum Christum magis diligunt, et certo contentiores vivunt quam maximi reges hujus terræ; et Deo gratias agamus, quod sua luce nobis detegat, quam vana sint cuncta hujus

mundi bona, quorum causâ tam multi misere pereunt.

IX. In omnibus actionibus et cogitationibus nostris ne quæramus illud, quod nobis placeat, sed illud tantum, quod placeat Deo. Quapropter neque animo turbemur, quum opus susceptum male ceciderit; nec, quum bene, plausus vel gratiarum actiones ab hominibus petamus. Quod si propter susceptum opus vituperemur, nihili hoc faciamus, hac utentes consolatione, quod Deo, non hominibus, placere voluimus.

X. Præcipua perfectionis adjumenta sunt: 1. Devitare quodlibet peccatum, voluntarie admissum, quamvis leve sit; si tamen accidat, ut aliquam culpam committamus, ne inde, abruptâ patientiâ, nobismetipsis irascamur; sed placide dolendum, et cum actu amoris erga Jesum Christum promittamus, non amplius nos ita esse facturos; ac simul ejus auxilium imploremus.

XI. 2. Exoptare, ut ad Sanctorum perfectionem perveniamus, et quælibet toleremus, ut Jesu Christo placeamus. Si autem tale desiderium nobis desit, Jesum Christum precari, ut illud nobis concedat: nam deficiente sincero sanctitatis desiderio, nullum umquam in via perfectionis passum faciemus.

XII. 3. Statutum habere, ut perfectionem assequamur. Cui illud decretum non est, languide procedit, nec, data occasione, reluctantem animum superat. Qui vero firmum cepit consilium, cum Dei auxilio, quod numquam deest, omnia vincit.

XIII. 4. Quotidie duas horas, vel saltem unam horam, orationi mentali vacare, neque umquam, nisi cogente necessitate, eam omittere ob quodlibet tædium, ariditatem vel animi perturbationem.

XIV. 5. Sæpius in hebdomade Communionem frequentare, prout directori videbitur; eo enim invito frequens Communio non est facienda. Quod idem dicendum de mortificationibus exteriis, jejuniis, ciliciis, flagellationibus et similibus; quæ mortificationes, injussu moderatoris exercitatæ, aut valetudinem profligabunt aut inanem gloriam afferent. Quapropter suum quisque directorem habeat necesse est, ad cujus nutum singula disponantur.

XV. 6. Preces assidue adhibere, seque pro omnibus necessitatibus Jesu Christo commendare; item recurrere ad intercessionem Angeli Custodis, SS. Patronorum et præsertim divinæ Matris, per cujus manus Deus omnes gratias nobis concedit. Sub finem Capitis VIII jam

demonstravimus, ex precatione omne bonum nostrum pendere. Imprimis a Deo quotidie petenda est perseverantia in ejus gratia; quam perseverantiam qui petit, accipit, et qui non petit, non accipit, et in æternam perniciem ruit. Item a Jesu Christo sanctum ejus amorem et perfectam cum ejus voluntate conformitatem petere oportet. Gratiæ porro semper per Jesu Christi merita petendæ sunt. Quas preces adhibeamus, ubi mane e lectulo surgimus, easque deinde repetamus ad orationem mentalem, Communionem, salutationem SS. Sacramenti, et vespere ad conscientiæ examen. Nominatim quum tentamur, auxilium ad resistendum a Deo postulemus, maxime quum tentationes castitati adversentur, sæpius tunc in auxilium invocantes sanctissima Jesu et Mariæ nomina. Qui precatur, vincit; qui non precatur, victus est.

XVI. Quod ad humilitatem spectat, ne superbiamus divitiis, honoribus, nobilitate, ingenio, vel aliis naturæ dotibus, et multo minus donis gratiæ, nobiscum reputantes, omnia esse Dei munera. Omnium pessimos nos habeamus, eamque ob causam libenti animo feramus, ab aliis nos despici; neque illos imitemur, qui ceteris pejores se dicunt, sed omnibus melius tractari volunt. Quare humiliter accipiamus

objurgationes, nullam afferentes excusationem, etiamsi injuste arguamur, dummodo ne ad vitandum aliorum scandalum defensio necessaria sit.

XVII. Magis etiam caveamus, ne in publicum prodire nitamur, vel honores ab hominibus captemus. Quocirca ob oculos habeamus magnam S. Francisci sententiam, *tanti nos esse, quanti simus coram Deo.* Pejus foret, si monachus honoris vel præstantiæ munera in religiosa sua familia ambiret: monachi honor est, ceteris esse humiliorem; est autem humilior, qui humiliationes majori cum alacritate amplectitur.

XVIII. Animum divellamus ab omni erga res creatas affectu. Qui rei terrenæ, etsi minimæ, adhæret, evolare seque omnino cum Deo conjungere numquam potest.

XIX. Solutum imprimis animum a propinquorum affectu habeamus. S. Philippus Nerius: « Quantum amoris », inquit, « tribuimus creaturis, tantum Deo subtrahimus ». Et quum de statu eligendo agitur, maxime caveamus a propinquis, quum suis commodis magis quam utilitati nostræ consulant. Avertamus animum ab humano respectu, a vana hominum existimatione, et præsertim a propriæ voluntatis studio.

Dimittenda sunt omnia, ut omnia acquirantur: *totum pro toto*, inquit Thomas a Kempis.

XX. Iram, quidquid acciderit, numquam admittamus; si autem animo quandoque obrepserit, statim ad Deum confugiamus; nec prius agamus vel loquamur, quam ira certo evanuerit. Quare expedit, in oratione animum præparare ad omnia, quæ obtingere possunt, ne, quum accidunt, cum nostra culpa succenseamus. Meminerimus, quid de seipso confessus sit S. Franciscus Salesius: « Numquam succensui, quin postea facti me pœnituerit ».

XXI. Sanctitas omnis in amando Deo consistit; omnis autem Dei amor in exsequenda ejus voluntate. Acquiescendum ergo est, idque sine ulla exceptione, in omnibus, quæ Deus de nobis statuerit; eamque ob causam cum animi pace amplectamur oportet prospera et adversa, quæ Deus voluerit, illum vitæ statum, quem Deus voluerit, illam valetudinis conditionem, quam Deus voluerit. Atque eo dirigendæ sunt omnes nostræ orationes, ut Deus gratiam nobis concedat exsequendi sanctam ejus voluntatem. Porro ut divina voluntas innotescat, monachus ex arbitrio Superioris pendeat, vir sæcularis ex arbitrio confessarii. Et illud S. Philippi Nerii pro certo habeamus: *Eorum, quæ ex*

obedientia fiunt, nulla Deo reddenda est ratio. Nimirum, nisi res injuncta evidens peccatum sit.

XXII. Contra tentationes remedia duo sunt: submissio voluntatis et oratio. Voluntatis submissio, quia, licet tentationes ad peccatum non proveniant a Deo, ab eo tamen utilitatis nostræ causâ permittuntur. Ne igitur irascamur, quantumvis molestæ sint tentationes; in Dei eas permittentis voluntate acquiescamus, et ad eas vincendas telum arripiamus orationis, quæ omnium potentissima atque tutissima est ad superandos inimicos armatura. Pravæ cogitationes, quantumvis fœdæ vel impiæ, non sunt peccata: solummodo pravi consensus peccatum constituunt. Sanctissima Jesu et Mariæ nomina invocantes, numquam superabimur. Tentatione irruente, expedit renovare propositum moriendi potius quam ut Deum offendamus; expedit etiam signo crucis et aquâ benedictâ sæpius se munire: item valde expedit, confessario tentationem detegere; sed maxime necessarium remedium est oratio, qua Jesu et Mariæ auxilium ad resistendum imploremus.

XXIII. In desolatione spiritûs duos præcipue actus exercere oportet; humilitatis, qua fatemur, nos mereri, ut ita nobiscum fiat: conformitatis cum Dei voluntate, qua in Divinæ Bonitatis

brachia nosmetipsos projiciamus. Quum Deus nos solatur, præparemus animum ad tribulationes, quæ solatia sequi solent. Quum autem desolatione nos afficit, humilitatem ac voluntatis submissionem exerceamus, et desolatio multo utilior nobis quam consolatio erit.

XXIV. Ut semper recte vivamus, animum imbuamus generalibus quibusdam sententiis, ad vitam æternam spectantibus:

Terrena, sive jucunda sive amara, omnia finem habent; finem numquam habet æternitas. Mortis horâ quid prosunt omnia hujus mundi fastigia?

Quidquid a Deo venit, sive prosperum sive adversum, bonum est et ad nostrum bonum conducit.

Dimittenda sunt omnia, ut omnia acquirantur.

Sine Deo vera pax haberi nequit.

Nihil est necessarium præter amare Deum et salvam facere animam.

Nihil nisi peccatum timere nos oportet.

Deo perdito, omnia perierunt.

Qui nullam hujus mundi rem appetit, totius mundi dominus est.

Qui orat, salvabitur; qui non orat, peribit.

Moriamur, dummodo Deo complaceamus.

Quanticumque est Deus, carus nunquam est.

Ei, qui inferni pœnas sibi promeruit, levis est omnis molestia.

Omnia sustinet, qui Jesum crucifixum intuetur.

Quidquid pro Deo non fit, molestum evadit.

Qui solum Deum vult, omni bono dives est.

Beatus, qui ex animo dicere potest: *Jesu mi, te solum volo, nec quidquam aliud.*

Qui Deum diligit, omni re delectatur: qui Deum non diligit, nulla re vere delectabitur.

INDEX CAPITUM

PAG.

CAPUT I. — Quantopere Jesus Christus amorem nostrum sibi mereatur ob amorem in passione sua nobis præstitum. 9

CAPUT II. — Quantopere Jesus Christus amorem nostrum sibi mereatur ob amorem in SS. Altaris Sacramento instituendo nobis præstitum. 28

CAPUT III. — Quantam fiduciam reponere debeamus in amore, quem Jesus Christus nobis exhibuit, et in omnibus, quæ pro nobis fecit. . 43

CAPUT IV. — Quantopere Jesum Christum diligere teneamur 55

CAPUT V. — *Caritas patiens est.* Jesu Christi amantem libenter pati 68

CAPUT VI. — *Caritas benigna est.* Jesu Christi amantem amare lenitatem 87

CAPUT VII. — *Caritas non æmulatur.* Dei amantem non invidere optimatibus, sed iis solum, qui divino amore sibi antecellant 99

PAG.

CAPUT VIII. — *Caritas non agit perperam.* Jesu Christi amantem a tepore abhorrere, sectari vero perfectionem. Cujus adjumenta sunt desiderium, propositum, oratio mentalis, Communio, precatio 110

CAPUT IX. — *Caritas non inflatur.* Jesu Christi amantem dotibus suis non efferri, sed demisse sentire, et lætari, ab aliis quoque se deprimi 152

CAPUT X. — *Caritas non est ambitiosa.* Dei amantem non ambire nisi Deum 166

CAPUT XI. — *Caritas non quærit quæ sua sunt.* Jesu Christi amantem rebus creatis non adhærescere 174

CAPUT XII. — *Caritas non irritatur.* Jesu Christi amantem proximo numquam irasci . . 205

CAPUT XIII. — *Caritas non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Jesu Christi amantem non velle nisi ea, quæ Jesus Christus velit 217

CAPUT XIV. — *Caritas omnia suffert.* Jesu Christi amantem omnia pro Jesu Christo perpeti, speciatim infirmitates, paupertatem et contemptus 240

CAPUT XV. — *Caritas omnia credit.* Jesu Christi amantem omnibus ejus dictis credere . 264

PAG.

CAPUT XVI. — *Caritas omnia sperat.* Jesu Christi amantem a Jesu Christo omnia sperare 271

CAPUT XVII. — *Caritas omnia sustinet.* Jesu Christi forti amore amantem, ob quaslibet tentationes et desolationes ab amore non desistere 289

§ I. — De tentationibus 290

§ II. — De desolationibus 305

Summa virtutum, quas Jesu Christi amantibus exercendas proposuimus 323

IMPRIMI POTEST.

M. RAUS, C. SS. R. *Sup. Gen. et Rect. Maj.*

IMPRIMATUR

Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Mag.

JOSEPHUS CEPPETELLI, Patr. Const. Vicesgerens.

MARYGROVE COLLEGE LIBRARY
Praxis amandi Jesum Christum, de
242.2 L62p W1
3 1927 00111233 0

242.2
L62p
v.1

DETROIT PUBLIC LIBRARY